[illegible] eigenhändige (Widmung) des Verfassers!

[illegible]

von demselben als Geschenk
erhalten am 27ten April 18[illegible]
als Zeichen der Freundschaft

[illegible]

MUSAEUM

ANATOMICO-PATHOLOGICUM

NOSOCOMII UNIVERSALIS

VINDOBONENSIS,

QUOD

ORDINE SYSTEMATICO

DESCRIPSIT

LAUR. BIERMAYER,

MED. DOCTOR, PROSECTOR PATHOL. NOSOCOMII UNIVERSALIS, MUSAEI PATHOLOGICI CUSTOS, ANATOMICUS FORENSIS.

VINDOBONAE et TERGESTI,

APUD JOSEPHUM GEISTINGER.

1816.

ILLUSTRISSIMO

AC

MAGNIFICO DOMINO DOMINO

VIRO MAXUMO

LIBERO BARONI

A N D R E A E

JOSEPHO DE STIFFT,

SACR. IMP. REG. AC AP. MAJESTATIS
A CONSILIIS STATUS AC CONFERENTIARUM
ACTUALI, ORDINIS ST. STEPHANI HUNGARICI EQUITI, ARCHIATRORUM COMITI, PER UNIVERSAS DITIONES AUSTRIACAS PROTOMEDICO, FACULTATIS MEDICAE PRAESIDI, STUDII MEDICI DIRECTORI, AC SOCIETATUM MED. LOND. PETROPOL. VENET. PATAV. ERLANG. ETC. ETC. TUM ET C. R. ACADEMIAE MEDICO-CHIRURG. JOS. SODALI.

M O N I M E N T U M H O C E X I G U U M

SUMMAE VENERATIONIS

V O V E T

AUCTOR.

Illustrissime Vir!

Singularis Tua Illustrissime Vir, qua medicae artis cultores tueri, et ad promovenda scientiarum incrementa excitare soles, benevolentia, me quoque excusabit, qui tenuem hunc laborem Illustri Tuo Nomini dicare ausus sum. Excusabit etiam ipsa Musaei anatomico - pathologici sub Tuis auspiciis institutio; Quum enim me hujus thesauri pathologici Custodem, et Anatomi-

cum esse volueras; et officium meum, et grati animi testimonium a me exigere videbantur, ut publicas Tibi actarum a me rerum rationes reddam.

Ut clementer hoc opusculum suscipias, et me Tuo favore haud indignum esse existimes, omnibus animi viribus contendam

Illustrissimo Tuo Nomini

addictissimus
Biermayer.

Praefatio.

Ante plures jam annos in nosocomio militari, ac celeberrima Academia medico-chirurgica ab Imperatore Josepho II. Magno, memoria dignissimo creata aliquam saltem in re anatomica dexteritatem acquirendi occasio mihi fuit.

Comparatas illas praevias subtilioris aeque ac elementaris anatomes corporis sani cognitiones paulo uberius excolere, atque ad morbosum organismi humani statum ad

plicare nunc per trienium studeo, quo Prosectoris in nosocomio universali Vindobonensi, ac Custodis musaei anatomico - pathologici munus mihi tradere supremo regimini ac praesidi facultatis medicae benigne placuit.

Nimis autem breve hoc tempus est, quam ut propriis observationibus librum implere, illisque coram triariis in campo literario comparere possim. Semesis autem et indigestis, aut plane alienis ampullari nolo. Favente otio ac tempore, favente numine supremo fors in posterum licebit, aliquid in emolumentum et augmenta anatomiae pathologicae praestare.

Praesentis opellae scopus est nonnisi ignotum adhuc thesaurum

palam facere, praeparata scilicet tum sicca, tum in alcohole adservata musaei pathologici Vindobonensis in systematico quodam ordine enumerare ac describere. Gratam ac exoptatam publico literario hanc enumerationem esse existimo: multo gratiorem vero illam fore, si cuivis praeparato descripto ad mentem aliorum virorum succinctae saltem historiae adnecterentur, intime persuasus sum: sed quum plurium praeparatorum historiae non sufficiant, aut plane deficiant; quivis, si pauca nonnisi verba de iis faciam, libenter me excusabit. Primis enim exstructionis musaei pathologici tantum annis, sub auspiciis celeberrimi *Frank* per defunctum Prosectorem *Vetter* historiae morborum quaedam

collectae fuerunt: post illius discessum vero musaeum una cum praeparatis et historiis, nullis fere recentioribus praeparatis locupletatum, situ quasi obductum squaluit, donec ante tres annos sub auspiciis summe venerandi Professorìs nostri *Val.* nobil. ab *Hildenbrand*, ać meis vigiliis vix non omnium recenter accedentium praeparatorum historiae diligenter iterum colligi coeperint. Singulis praeparatis succinctas explicationes ac adnotationes addidi, quatenus data historica proprio etiam laborè collecta permittebant.

Praemittam tamen in isagoge aliqua de insigni anatomiae pathologicae utilitate, adnectam brevem practicae hujus scientiae historiam, atque ordinem subjungam construen-

do systemati praeparatorum aptissimum, quem in enumeratione illorum sequar; licet iste ordo, praeparatis quibusdam adhuc deficientibus hinc inde interruptus videri possit: Sed, ob praeparata nova aliquando comparentia, systema amplum angustiori praeferendum esse arbitror.

Brevi descriptioni singulorum praeparatorum numerum chronologicum, eundemque, quo in musaeo occurrunt, titulum praeposui. Id tamen adhuc animadvertere oportet, titulos praeparatis adscriptos, etsi quandoque minus apti sunt, commutare, iisque aptiores substituere tamen non licuisse, ne reliqui exstantes horum praeparatorum catalogi a nostro re ipsa diversi videantur.

Literaturam quoque singulis sectionibus atque praeparatis addidi, et celebriores harum rerum scriptores enarravi, ut fontes pateant, quos studiosi anatomiae pathologicae consulere possunt.

Caeterum hic praeparatorum catalogus ad finem anni scolastici 1815 usque pertingit, et primum volumen musaei anatomico - pathologici constituit. Quam primum suficiens erit rerum memorabilium copia, alterum volumen typis edetur.

Auctor.

Index

praeparatorum chronologicus.

Introductio.

Apud omnes eximioris notae medicos in confesso manet, sola exenteratione cadaverum, morbis peremptorum, promoveri posse artem medicam, cum haud alia clavi reserari queant naturae morbosae penetralia, in quibus genuinam morbi et mortis causam perquirere licet.

Dantur quidem morborum fomites ac latices, qui sensus nostros effugiunt, atque nostrae facile subtrahuntur indagini: sed patet labes, quam organis imprimere solent, atque sufficit, saepe saepius nosse effectum, si causa abscondita.

Innotescit accurato viscerum scrutinio, internorum vitiorum genuina sedes, extricantur nonnullae causae alias imperviae, latiorque tunc patet medendi methodus.

Docet cadaverum inspectio, qualibus organismi humani fabrica obnoxia sit mutationibus; docet peculiarem nisum nonnullorum organorum in certas desorganisationes; docet, quales organicae structurae a norma aberrationes sanitatem facilius laedant, atque mortem citius invitent; docet poro, quibus vitiis organicis mors semper et absolute inducatur, ut simili in casu tutior et accuratior saltem pateat prognosis, ubi non licet rescindere mandata fatorum. Innotescit inde major, minorve cujusdam organi necessitas ad vitae sustentationem, atque ipsius physiologiae problemata quaedam dilucidantur. Innotescit, summe nobilium organorum structuram saepe mirum in modum laesam esse ita, ut potius vitae tamdiu persistentis, quam mortis subsequutae causam admiremur; ubi aliis in casibus exiguas tantumodo desorganisationes mortem inducere observamus. Docet autopsia cadaverum, notabilia saepe vitia organica in corpore per longum tempus latitare, vitaeque clandestine insidias struere posse, quin ullis in vivo homine

se prodant signis, quin vel minima illorum suspicio moveri potuerit. Convincimur hisce in casibus de insufficientia signorum, quae nos manca adhuc ac incompleta semiotica docet; atque attentiores reddimur ad alia signa expiscanda, ex quibus simili in casu malum, in visceribus organicum saeviens cognosci, atque notum debitis auxiliis oppugnari posset. Innotescit porro intuitu cadaverum, qualium morborum nonnulla organica vitia sobolem et effectum sistant, sub quibus circumstantiis producantur, qualia demum posthuma inducant mala. Qui latuit inter morbum et causam nexus, toties post mortem nonnisi perspicitur.

Complanatur igitur hujus anatomiae pathologicae ope salebrosa et praerupta tum diagnoseos, tum prognoseos via, solvuntur et quaedam physiologiae aenigmata, atque patet ad veram medicinam aditus. Toties medici etiam prioris notae in extricandis variorum morborum organicorum aenigmatibus anxii haerent, et nonnisi post decumbentis interitum, et ejus viscerum intuitum, inter se di-

micantes erudiuntur. Caliginem hancce nonnisi anatomica discutere valet autopsia.

Quanta igitur anatomiae practicae seu pathalogicae dignitas et utilitas sit, ad diagnoseos, nosogeniae, ac prognoseos fundamenta firmanda, quanta illius sit pro quovis medico practico necessitas, pluribus adhuc evincere velle argumentis, superfluum sane foret.

Plura si quis scire cupit, inveniet in citatis operibus a).

Neque priscos medicos latuit haec scientiae clinicae pars, quae multis parasangis ceteras post se relinquit. Nec dubitare licet, quin Aegyptii sacerdotes condienda raptim rimarentur corpora, quae ceteroquin superstitiosa veneratione excepta introspicere nefas habe-

---

a) G. *Andr. Müller* Progr. de utilitate anatomiae practicae. Giefs. 1753.

P. *Gräuwen* Oratio de anatomiae pathologicae utilitate et necessitate Gröning. 1771.

Voigtel's Handbuch der pathologischen Anatomie. B. I, Einleitung.

batur. Parum vero conducebant rudes illae indagationes, donec *Aesculapius* Memphi natus corpora humana secanda curaverit, ut sibi ad altiora tendenti, innotescerent partium fabrica, simul et morborum causae, ni quaerentium oculis se subducerent. *Aesculapii* vestigia premere summo honori ducebat latissima Asclepiadum familia, quorum membrum ipse *Hippocrates* fuit, aeterna memoria dignus. *Erasistratus* serius Antiochum amore percitum, et ad incitas redactum, accuratiori examini invigilavit, ut praesertim innotescat morbi ratio, et mortis causa.

Alexandrinae demum scolae parens et decus, *Herophilus* sexcenta, uti fertur, hominum cadavera annuente et favente Ptolomeo Lathuro sectioni tradidit.

Occubuit vero in posterum anatome per quingentos circiter annos tenebris quasi damnata, donec *Galenus* primus sectionis modum aperuerit, atque inter anatomicos nomen immortale sibi comparaverit. Evanuit vero iterum anatome summa *Galeni* industria ac labore reviviscens,

et nonnisi post annorum chiliades caput iterum extollit.

Sub initum seculi XVI. *Ant. Beniveni* Florentini primum anatomiae pathologicae opus edidit a).

Eodem seculo *Fallopias*, *Vesalius* et *Eustachius* cadaverum humanorum sectiones stupenda solertia prosecuti sunt.

Invaluit sensim sensimque mos, praesertim in nosocomiis, aegrotantium cadavera cultro anatomico subjiciendi prodierantque paulatim plures, e cadaverum extispiciis depromptae, observationes anatomico medicae, quibus huc illuc sparsis colligendis ad finem seculi XVII. indefesso labore incubuit *Thom. Bartholinus* b), *Theoph. Bonnetus* et *Jac. Mangetus* c) quos nominasse sat est.

---

a) *Ant. Benivenius* de abditis nonnullis ac mirandis morborum et sanationum causis. Florent. 1507. 4.

b) *Th. Bartholinus* de anatome practica ex cadaveribus morbosis adornanda consilium. Hafniae 1674. 4.

c) *Theoph. Bonneti* Prodromus anatomiae practicae. Genev. 1675. 8.

Quievit denuo utilissimus hicce medicinae practicae ramus oblivioni quasi traditus per seculum ferme integrum, donec omni laude superior *Morgagnus* diligentissimus sane ac fere princeps anatomiae pathologicae excultor, suas observationes numerosissimas unacum *Valsavianis*, typis mandaverit.

Reliquorum tandem virorum, qui indefessa diligentia ad promotionem et amplificationem anatomiae pathalogicae plurimum contulerunt, nomina adnotasse sufficit. Eminent *Ruyschius*, *Boerhaavius*, *Senacus*, *Hallerus*, *van Svieten*, *Huxhamus*, *de Haën*, *Baader*, *Portal*, *Lieutaud*, *Baillie*, *Soemmering*, *Meckel* et alli.

Multi etiam ad mentem maximi *Morgagni* collectionibus, ac musaeis pathologicis exstruendis multum insudarunt, uti *Hove*, *Rau*, *Ruysch*, *Walter*

Theoph. Bonneti Sepulchretum anatom. s. anatomia practica ex cadaveribus morbo denatis. Genev. 1679. Vol. II. Fol. Edit. Mangeti. Lugdun. 1700. Vol. III. Fol.

van Doeveren, *Vater*, *Walter*, *Meckel*, *Hunter et Loder*.

Qui plura circa historiam, ac literaturam anatomiae pathologicae scire cupiunt, sequentia classica adeant opera.

Jo. *Salzmannii* specimen anatomiae curiosae et utilis. Argent. 1709. 4.

Jo *Mauritii Hofmanni* Disquisitio corporis humani anatomico-pathologica rationibus et observationibus veterum et recentiorum singulari studio collectis confirmata. Altdorf. 1713. 4.

Ph. Conr. Fabrizii Idea anatomiae practicae. Wetzlar 1741. 8.

Abr. Vater. Musaeum anatomicum proprium. Helmst. 1750. 4.

Pet. Camper. Demonstrationes anatomico-pathologicae. Lib. I. et II. Amstelod. 1760 — 62. Fol.

J. *Bapt. Morgagni* de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis. Venet. 1761. Vol. II. Fol. Genev. ex edit. *Tissoti* 1779. Vol. III. 4. Deutsch von *Kriegsdörfer*. Altenb. 1771. 5 Bde. 8.

Jo. *Lieutaud* Historia anatomico medica, sistens numerosissima cadaverum humanorum extispicia, quibus in apricum venit genuina morborum sedes, horumque reserantur causae, vel patent effectus. Edit. ab *Ant. Portal*. Paris 1767.

Vol. II. 4. recudi curavit, correxit, et suppl. complet. *J. Chr. Fr. Schlegel.* Longosalifs 1786 — 87 Vol. II. 8.

Baldinger, Neues Magazin für Aerzte. Leipzig 1779. B. IX. St. I. S. 87. und B. XVI. St. VI. S. 481.

Ed. *Sandifort* Observationes anatomico-pathologicae. Lugdun. Bat. 1777 — 80. Vol. IV. 4. cum fig.

Ejusd. Musaeum anatomicum Academiae Lugduno Batavae. Tom. I. Fol. mit 9 Kupfertafeln. Tom. II. mit 127 Kupfertaf. Lugd. B. 1793.

Ch. Fr. Ludwig Primae lineae anatomiae pathologicae. Lips. 1785.

Math. Baillie Anatomie des krankhaften Baues von einigen der wichtigsten Theile des menschlichen Körpers, aus dem Englischen mit Zusätzen von *S. Th. Sömmering.* Berlin 1794.

J. *V. H. Köhler* Beschreibung der physiologischen und pathologischen Praeparate, welche in der Sammlung des Hrn. Hofrath *Loder* enthalten sind. Jen 1795 B. I.

G. Ch. Conradi Handbuch der pathologischen Anatomie. Hannov 1799.

A. R. Vetter Aphorismen aus der pathologischen Anatomie. Wien 1803.

F. G. *Voigtel* Handbuch der pathologischen Anatomie, mit Zusätzen von *P. F. Meckel.* 3. B. Halle 1804, 5 u. 8.

Portal Cours d'anatomie medicale ou élémens de l'anatomie de l'homme avec des remarques physiologiques et les resultats de l'observations sur le siege et la nature de maladies d'après l'ouverture des Corps. Paris 1804. 8. Vol. V.

Joh. Gottl. *Walter* Musaeum anatomicum. Berolini 1805.

J. Fr. *Meckel* Handbuch der pathologischen Anatomie. I. B. Leipz. 1812.

A. W. Otto Handbuch der pathologischen Anatomie. Breslau 1813.

Conspectus systematicus a).

Praeparata in Musaeo pathologico adservata, pathologiamque spectantia in classes duas sejungere placuit, quatenus nempe exhibent:

I. Morbos organicos, proprie tales, qui cum functionum diversarum laesione incedunt, aut

a) *Vetter* Aphorismen aus der pathologischen Anatomie. Wien 1803.

Otto Handbuch d. pathol. Anatomie der Menschen und Thiere. Bresl. 1813.

II. Deformitates organicas, quae nonnisi situm, formam, magnitudinem etc. alienata ostendunt, absque manifesta functionum laesione.

I. Morbi organici.

In horum ulteriori partitione anatomicum ordinem sequutus sum, ut intuitus ac comprehensio facilior sit, novaeque etiam aliquando comparentes organorum laesiones suo loco inseri possint: Hinc omnis hucusque divisio pathologicis duntaxat fundamentis innixa, hiulca et plurimis lacunis interrupta esse debet.

Primo igitur juxta sedem morbi in duos ordines illos subdivisi, et quidem in

A. Morbos organicos externos, superficiei nimirum corporis externae. epidermidis, cutis a), textus cellulosi, illiusque

---

a) Plenk doctrina de morbis cutaneis. Vindobonae 1776.

adipis, glandularum superficialium a), organorum et cavorum externorum oculis conspicuorum; deinde in

---

Lorry de morbis cutaneis. Paris 1777. Uebersetzt von *Held*. Leipz. 1779.

Willan, die Hautkrankheiten und ihre Behandlung systematisch beschrieben. Breslau 1799. mit Kupfern.

Alibert Description des maladies de la peau. Paris 1805. Fol. Deutsch. Tübingen 1805.

v. d. *Volk* D. exhib. Observat. varii argumenti. Gröning. 1793.

Bose de mutato per morbum colore corp. hum. Lips. 1785.

Bergmanno Primae lineae pathol. comparatae. Götting. 1804.

Vater Progr. de cuticula pueri 15 annor. cutis rhinocerotis aut corticis arboris instar incrassata. Vitemb. 1735.

Werner, D. de unquibus humanis varioque modo, quo possunt corrumpi. Lips. 1773.

Loder med. chir. Beobachtungen. Jen. 1794.

a) *Pohl* Progr. de morbis contextus cellulosi in genere. Lips. 1765.

B. Morbos organicos internos, organorum nempe omnium reliquorum corpus constituentium.

A. Morbi organici externi.

Qui ordine iterum anatomico juxta partem, quam obsident, enumerantur, et

---

Thierry an in celluloso textu frequentius morbi et morborum mutationes, in Halleri collect, disp. ad morbor. hist. et curat. facient. Tom. VII p 855.

Leipold, D. de morbis telae cellulosae. Erlang. 1782.

Lorry von dem Fette u. s. w. in der Sammlung auserlesener Abhandl. f. pract. Aerzte. B. IX. S. 222.

Quelmalz, D. de pindequine ejusque sede tam secundum quam praeter naturam constituta. Lips. 1748.

Jansen Pinquedinis animal. consideratio phys. et pathol. L. B. 1784.

Reusing, D. de pinquedine sana et morbosa. Jen. 1791.

quantum opella limites permittunt, succincte describuntur.

1. *Capitis*, et ejus partium singularum:

a. partis capillatae,

b. faciei, ejusque partium:

α) oculi,

β) auris,

Seifert, D. physiol. patholog. de pinquedine, Gryphis. 1794.

Salzburger medic. chirurg. Zeitung. 1810. B. II, S. 63.

J. P. *Frank* de curan. hom. morb. epitom. L. VI. de retentionibus. P. I. 1811.

Von der tödtlichen Knotenkrankheit. Leipzig 1780.

Heister de tumoribus cysticis singularibus. Helmst. 1744.

Plenk novum systema tumorum etc. Viennae 1767.

Loder Beobachtungen und Erfahrungen über die Balggeschwülste u. s. w., von *Jacobson*. Leipzig 1793.

γ) nasi,
δ) oris.

2. *Colli*, et ejus regionum.

3. *Pectoris*, et ejus regionum.

4 *Dorsi*, et ejus regionum.

5. *Abdominis*, ejusque regionum:
a. regionis epigastricae,
b. regionis umbilicalis,
c. regionis hypogastricae,
d. regionis pubis:
α) virilis,
β) muliebris,
e. regionis inquinalis,
f. regionis sacralis,
g regionis ani.

6 *Extremitatum superiorum*, et partium earum:
a. brachii,

Stark, D. syst. scrophularum naturam praesertim steatomatosarum etc. Jenae 1803.

Brennecke in d. allgem. medic. Annalen. 1811. Octob 930.

b. antibrachii,
c. manus.

7. *Extremitatum inferiorum*, earumque partium:
a. femoris,
b. cruris,
c. pedis.

B. Morbi organici interni.

Horum subdivisionem organa, natura sua a se invicem distincta, constituunt; nempe morbi:

1. *Ossium* juxta corporis partes:
a. Capitis et quidem
α) ex causa mechanica,
β) ex causa interna.
b. Trunci, ejusque partium:
α) vertebrarum,
β) costarum, et sterni,
γ) claviculae, et scapulae,
δ) pelveos.
c. Extremitatum superiorum:
α) brachii,
β) antibrachii,
γ) manus.

d. Extremitatum inferiorum:
α) femoris,
β) cruris,
γ) pedis.

2. *Musculorum* juxta corporis partes.

3. *Cordis et vasorum*:
a. Pericardii et cordis,
b. Arteriarum,
c. Venarum.

4. *Glandularum*, vasorumque lymphaticorum:
a. Colli,
b. Thoracis,
c. Abdominis
d. Extremitatum superiorum,
e. Extremitatum inferiorum.

5. *Nervorum et cerebri* (tanquam illorum originis) una cum partibus illud circumdantibus.
a) Membranarum cerebri:
α) durae matris, ejusque processuum,
β) arachnoideae,
γ) piae matris.
b. Cerebri ipsius, ejusque partium.

c. Partium ad cerebrum spectantium.

α) plexus choroidei,

β) glandulae pinealis, et pituitariae.

d. Medullae spinalis.

e. Nervorum.

6. *Morbi viscerum* (proprie sic dictorum).

In hac morborum subdivisione diversarum functionum, et organorum his functionibus inservientium, ratio habenda est. Sic morbi

a. Organorum respirationis:

α) glandulae thyreoideae,

β) laryngis et tracheae,

γ) bronchiorum et pulmonum,

δ) pleurae, ejusque processuum.

b. Organorum masticationis, digestionis et assimilationis.

α) glandularum salivalium,

β) pharyngis et oesophagi,

γ) ventriculi,

δ) intestinorum tenuium et crassor.

ε) hepatis ac vesicae felleae,

ζ) lienis,

η) pancreatis,

ϑ) mesenterii,

ι) omenti
κ) peritonaei.

c. Organorum uropoëticorum:
α) renum,
β) ureterum,
γ) vesicae,
δ) urethrae.

d. Sexualium virorum:
α) testiculi et funiculi spermatici,
β) vesicularum seminalium,
γ) prostatae,
δ) corporum cavernosorum.

e. Sexualium mulierum:
α) uteri et vaginae,
β) tubarum,
γ) ovariorum,
δ) placentae,
ε) funiculi,
ζ) foetus.

In ultima tandem subdivisione ac enumeratione praeparatorum ordinem (quantum fieri potuit) pathologicum secutus sum, singula scilicet praeparata juxta diversam morbi formam proponendo: cum hac autem distinctione, quod illa speci-

mina, morbos plurium organorum, eorumque partium junctim repraesentantia agmen claudant.

II. Deformitates et monstra.

Quum aeque arduum sit negotium; in enumeratione praeparatorum anatomicorum deformitates organorum, ab illorum morbis, ac vitia organorum externorum ab illis internorum sejungere, et seorsim considerare; cum conjuncta saepius appareant, et organi morbus non raro deformitatem pareat, aut ille ex hac oriatur; sequens partitio deformitatum optima mihi visa est.

A. Magnitudo vitiosa.

1. *nimis aucta,*
2. *imminuta.*

B. Situs vitiosus.

C. Fabrica vitiosa.

1. *forma alienata,*
2. *structura alienata.*

D. Numerus vitiosus.

1. *partes superfluae,*
2. *partes deficientes.*

E. Cohaesio vitiosa.

1. *partes concretae,*
2. *partes divisae.*

F. Vitia mixta.

Subdivisionem denuo secundum ordinem anatomicum a capite ad calcem, et juxta organa feci.

I. Morbi organici.

A. Morbi organici externi.

I. Capitis.

a. Partis capillatae a).

Nro. D.

Plica polonica b).

Puellae e regione ad Vistulam adventitiae absque ullo detrimento resecta.

---

a) *Salwik*, de morbis pilorum. Frib. 1777.
Meibom, D. de pilis eorumque morbis. Helmst. 1704.
Wolfarts Bemerkungen über die krankhaften Veränderungen der Haare.
Sand de areae generibus, alopecia et omphiasi. Regio 1683.
Bruno de Arnaldia. Alt. 1706.

b) *de la Fontaine* chir. med. Abh. Bresl. 1792.
Fr. Chr. Walter, D. de plica polonica. Marb. 1808.

Nro. CCLXXXV.

Fungus durae matris ingens.

Tegumenta ad occipitis latus dextrum communia ab ingenti tumore extrorsum protuberantia, cujus interna substantia, fungosa, continuationem fungi durae matris cranium penetrantis refert. Ex juvene 20 annor. a multis jam annis hoc tumore affecto, ac tandem tabe consumto, de quo in capite de morbis ossium sub Nro. CCLXXXVI. iterum sermo erit.

b. Faciei.

Nro. LVII.

Lues venerea.

Facies foeminae 30 annor., oculis, naso palatoque syphilitide destructis, spectaculum refert horribile.

Nro. LXXXIX.

Cancer faciei.

Facies foeminae 30. annor., oculis, naso, buccaque dextra cum labio ejus-

dem lateris superiori oris cancro rodente destructis, conspectum praebet teterrimum.

α. Oculi a).

Nro. DXI.

Oculus fungosus exstirpatus.

Bulbus oculi in substantia normalis, ab adipe et musculis, in massam fungosam commutatis, protrusus.

---

a) *Beer* Bibliotheca ophthalmica, in qua scripta ad morbos oculorum facientia a rerum initiis usque ad finem anni 1797 breviter recensentur T. III. Vien. 1799. Deutsch. eben daselbst. 1799.

Desselben Lehre der Augenkrankheiten. Wien 1792 2 B.

Desselben Lehre von den Augenkrankheiten, als Leitfaden zu seinen öffentlichen Vorlesungen. 1. B. Wien 1813.

Scarpa practische Abhandlung über die Augenkrankheiten, übersetzt v. *Martens*. Leipzig 1803.

Nro. XLIX.

Oculi membranae connatae.

Bulbus oculi sinistri omni humore privatus, ex meris membranis constans concretis, glomum durum, opacum magnitudinis mori referens. Ex foemina 29 annor. morbo laterali mortua.

Nro. CCXLI.

Cornea iridi adcreta.

Cicatrix corneae, cui iris firmiter adhaeret. Ex foemina, cui ante aliquot annos cataracta fuit extracta.

Nro. CDXXXVI.

Ulcus corneae.

In medio corneae cicatrix magnitudine lentis, et ad ejus latus foraminulum nodulo aciculae simile, in cameras bulbi, cujus omnis substantia fere destructa fuit, ducens patet.

Nro. CCXLII.

Obscuratio corneae.

Bulbus oculi corneam refert incrassatam, fere cartilagineam, ulteriori in-

dagine membranas reliquas inter se concretas, degeneratasque, et corpus vitreum pro parte ossificatum, absque ullo lentis vestigio. Ex viro, qui ophthalmia chronica laboravit *).

Nro. DXXVIII.

Peculiaris bulbi oculi degeneratio.

In cadavere viri aquis submersi, ac judicialiter secti oculus dexter, volumine imminutus comparuit, cornea normali crassior, cartilaginea, ope iridis cum capsula lentis crystallinae concreta, quae ideo dilacerari debuit, ut ad lentem ipsam plane petrefactam, lapidi cancrorum omni ratione simillimam pervenire potuerim, quae tandem capsula normali inclusa mobilis insidet corpori vitreo perfecte osse facto, magnitudine nucis avellanae majoris, in facie anteriori monto-

*) Plura aderant praeparata nullatenus explorata, quamvis attentione dignissima: Hinc ratio constat tot ineptarum inscriptionum. Inquisivi sedulo, quantum corrugatio his partibus a spiritu vini inducta permisit.

so, pro parte vacuo, pro parte vero substantia ossea referto; nervo optico corrugato. Indagando diu causam hujus degenerationis oculi profecto rarissimae, violentam fuisse comperi: disrumpendo nimirum clavulum pars ejus cuspitata oculum petiit, et vulnerando hunc evacuationem humorum induxit.

Nro. XLVIII.

Cancer oculi cranium penetrans.

Oculus viri 56 annor. dexter cancro penitus consumtus cum devastatione insimul cranii circa fissuram orbitalem superiorem, nervos, ipsumque cerebrum adtingente. Ex causa ignota.

δ. O r i s a).

Nro. XXXIII.

Epulis.

Tumor gingivae lateris dextri maxillae inferioris fungosus duos fere pollices lon-

---

a) Jourdain Abhandl. über die chir. Krankh. des Mundes und der mit demselben in Verbindung stehenden Theile. Nürnb. 1784. 2 B.

gus, unum in diametro superans transversa, ex dentibus cariosis molaribus exortus, a puero 14 annor. felici cum eventu excissus.

J. B. Gariot Traité de maladies de la bouche. Paris 1804.

C. F. Angermann Syst. d. Physiol. Pathol. und Therap. des Mundes u. d. *Fr.* d. *Gariot* mit Anmerk. u. Zusätz. Leipzig 1806. mit 8 K.

Baier de pustulis labiorum. Altd. 1799.

Delius D de e efflorescentia labiorum. Erlang. 1764

Ferrand D. de labiorum cancro. Paris 1768.

Fels D. de carcinomate labiorum obser. aliquot. Erf. 1789.

Ludolff D. de morbis gingivarum. Erf. 1722.

Hirschfeld Bemerk. über die Krankh. des Zahnfleisches. Erf. 1804.

Heister D. de lingua sana et aegra. Alsd. 1716.

Simon de morbis linguae. Paris 1765.

Breidenstein D. de morbis linguae. Erlang. 1791.

Bach de linguae infirmitatibus. Jen. 1802.

Gilberts Unters. d. Karfunkelkr. der Thiere, nahmentl. des Zungenkrebses u. s. w., a. d. Franz. Nürnb. 1797.

3. Pectoris.

Nro CXXVII.

Carcinoma mammae a).

Potius scirrhus totius mammae, prope papillam absque ulcere excrescens, feliciter exstirpatus.

Nro. CDXVI.

Cancer mammae apertus.

Infra papillam tubera scirrhosa variae magnitudinis hinc inde foede exulcerata.

Nro LXXV.

Cancer apertus.

Mamma lateris sinistri in regione papillae plagam pollices 7 longam, 5 latam foedissime exulceratam praebet. Aegra 36 annor. coqua hoc malum a febri tertiana per annum integrum durante derivavit; cessante enim febri dolores, abs-

---

a) Mayer D. de mammis muliebribus in statu sano et morboso consideratis. Erford. 1800.

Meinicke D. de mammarum structura et morbis. Vireb. 1805. 4.

que causa cognita, in mamma pungentes persensit. Abusu diversorum remediorum domesticorum, praecipue raphani rustici, malum rapido cursu vitae terminum posuit.

4. Dorsi.

CCCLXVIII.

Steatoma dorsi ingens.

Libras quatuor et dimidiam pondere aequans.

5. Abdominis.

d. Regionis pubis.

α. virilis a).

Nro. CLXXXI.

Paraphymosis.

Enormis a viro nobili 36 annor. qui gonorrhea laborans febri nervosa periit.

---

a) *Meckel* D. de ulceribus virgae. Halle 1790. *Fallopius* de morbo gallico. Cap. 84.

Nro. LVI.

Cancer penis.

Ulcus conspicitur amplum, rotundum lardaceum in dorso penis.

Nro. XLII.

Penis gangraenosus.

Phymosis, quae jam in gangraenam abiit, ex causa syphilitica. A viro 63 annor. moribundo in nosocomium translato.

β. muliebris a).

Nro. CCCXCII.

Lypoma vulvae.

Labio vulvae e petiolo, digiti crassitiem aequante pendens lypoma, ponderis librae circiter unius, adhaerebat.

---

a) *Luis* de partium externarum generationi inservient. in muliebribus naturali vitiosa et morbos a dispositione. Paris 1754. 4.

Justi D. syst. observation. seriem circa genitalia muliebria. Marburg 1798.

Vater historia et cura sarcomatis monstrosi et cancrosi. Viteb. 1693. in *Halleri* biblioth. chir. V. 62.

Nro. DI.

Lypoma vulvae ingens.

Tumor librarum 10 ex cellulis adipe repletis constans, labio vulvae dextro basi ampla adhaerebat, ad genua usque pertingens. Ante annos 8 ex partu difficili in puella 17 annor. tumor hic ortus, ab hoc tempore indies increvit, donec molem hanc enormem referens felici cum eventu exstirpatus fuerit.

Nro. CLXVIII

Excrescentia condylomatosa enormis nymphae dextrae.

Haec moles ponderis librarum trium et semis, uvaeformis, ex causa mechanica, ictu nimirum, ope manubrii rastri in prato exorta, deligatione feliciter exstirpata est. Ab ancilla 37 annor.

Nro. CDIII.

Labia vulvae insigniter deformia.

Excrescentia condylomatosa ponderis librarum 4, basi lata utrique labio vulvae majori insidebat. Ex causa syphilitica.

Nro. CCCLVIII

Nymphae excrescentia.

Nymphae dextrae excrescentia condylomatosa magnitudinis ovi gallinacei meatum vaginae occludens.

Nro. CCCXIX.

Nympha morbose protuberans.

Excrescentia condylomatosa utriusque nymphae magnitudinem, formamque piri imitans, introitum vaginae integrum obturans.

g. *Regionis ani.*

Nro. CCCLVI.

Prolapsus ani exulceratus.

Intestini recti extremum longitudinis pollicum trium, latitudinis pollicum duorum exulceratum, in margine superiori mariscis cinctum conspectum praebet foedissimum.

Nro. CDXX.

Condyloma ani abscissum.

Magnitudinis pomi minoris.

Nro. CDVIII.

Condylomata ani exstirpata.

Excrescentiae uvaeformes pondere quartam librae partem aequantes.

7. Extremitatum inferiorum.

a. Femoris.

Nro. CCCXV.

Steatoma femore pendens.

Tumor steatomatosus ponderis librarum $4\frac{1}{2}$, ovalis, femori adhaerens feliciter cultro exstirpatus est.

Nro. CLXXXIV.

Tetanus a causticis applicatis.

Genu ancillae 28 annor. cum tumore cystico ad patellam, repetita ab agyrta applicatione pastae causticae exulcerato ex quo tandem tetanus lethalis exortus

b. Cruris et *c. pedis.*

Nro. CLXX.

Gangraena sicca pedis.

Pes seniculi 64 annor sinister ad surum usque, ex ossificata arteria femo

rali, penitus corrugatus, niger: vero igitur sphacelo destructus.

Nro. CCCLXIX.

Tumor dorsi pedis.

In dorso pedis dextri ad digitos tumor magnitudinis pomi majoris, naturae steatomatosae, sed durus conspicitur.

B. Morbi organici interni.

1. Morbi ossium a).

a. Capitis.

α. Ex causa mechanica.

Nro. CDL.

Calvaria militis armis occisi.

Vulnus caesim supra ossa parietalia transverse inflictum, pollices 4 longitudine aequans.

---

a) *Böttcher* Abhandlungen von den Krankh. der Knochen, Knorpeln und Sehnen Dessau und Königsberg 1781—93 3 Th. Neue Aufl. Königsberg 1795. 8.

Andr. Bonn Descriptio thesauri ossium morbosor. Haviani Amstel. 1783. 4.

Ejusdem Tabulae ossium morbosor. Fasc. II. Amstel. 1788. Fol.

A. Bertrandi über die Knochenkrankh. Aus dem Ital. mit Anmerkungen. Dresden 1792. 8.

Nro. CDLIII.

Calvaria alius mil. occisi.

Frustum cranii pollices 5 longum, tresque latum, a medio ossis bregmatis incipiendo articulum maxillae contingens, cum ponte zygomatico insimul acinace exsectum videtur.

Anatomisches Museum, gesammelt von *J. H. Walter*, beschrieben von *Fr. A. Walter*, 2ter Th. Berlin 1796.

C. F. Clossius über die Krankheiten der Knochen. Tübingen 1798.

Boyer's Vorlesungen über die Krankh. der Knochen, herausgegeben von *Spangenberg*. 2 B. mit Kupf. Leipzig 1804.

Ph. Ad. Böhmer D. de ossium ex viscerum laesione mollitie. Hal. 1763. 4.

Eckmann (praes. *Acrell*) D. descriptionem et casus aliquot osteomalaciae sist. Upsal. 1782.

Conradi D. de osteomalacia. Götting. 1796. 4.

Herrmann de osteosteatom. Lips. 1764.

Murray D. de osteosteatomate. Upsal. 1780.

Schöne Abbildungen hat *Sandifort* Museum anat. Vol. I.

Nro. CDXLIX.

Calvaria alius mil. arm. occisi.

Vulnera lateri occipitis dextro caesim inflicta 5, quorum tria superiora cranium penetrant.

Waldschmidt de fracturis ossium sine violenta causa externa. Kiel 1721.

Prochaska disquisitio anat. physiol. organism. corp. hum. etc. 1812. Tab. VI. VII.

Matani Observat. de osseis tumoribus Colon. 1765.

Schmid de paedarthrocace Lugd. Bat. 1721.

Nebel D. de paedarthrocace. Heidelberg 1745.

Rosenblatt D. sistens casum paedarthrocaces. Lund. 1745.

Pandolphini Tractatus de ventositate spinae saevissimo morbo. 1614. edit *Merclini*. Nürnb. 1674

Kaltschmidt progr. de raro spinae ventosae casu Jen. 1752.

Timmermann de spina ventosa. Rintel. 1765.

Augustin D. de spina ventosa. Halle 1797. mit schönen Kupfern.

Ferrand D. de carie ossium. Paris 1765.

Nicolai D. de carie ossium in genere. Jen. 1762.

Nro. CDLI.

Calvaria alius militis.

Os parietale dextrum ad suturam sagilem globo sclopetario perforatum.

Ph. J. Pideritt Geschichte eines sehr merkwürdigen Beinfrafses. Kassel 1781.

C. Ullmann D. de carie ossium. Marb. 1795.

Lud. Herm. Walter D. de carie. Helmstädt 1807.

Fr. Chopart de necrosi ossium. Paris 1776. 4.

Hirsch (praes *Metzger*) D. de necrosi ossium Regiomont. 1791.

Weidmann Tract. de necrosi ossium. Frankf. 1797.

Honnerley (praes. *Loder*) D. de necrosi ossium. Jen. 1794.

Fr. Oloff D. de scorbuto et de necrosi. Lemberg 1797.

K. Himly Abhandl. über den Brand der weichen und harten Theile. Götting. 1800.

C. J. Ringelmann de necrosi oss. Rudolst. 1804.

Traité de la necrosi traduit du latin de *Weidmann* par *J. M. Jourdu*. Paris 1808.

Sömmerring. Ueber Verrenkung und Bruch des Rückgraths. Berlin 1795.

Nro. CDLIV.

Calvaria al. mil.

Os frontis globo sclopetario perfossum.

Bertrandi von den Krankh. der Knochen. B. 1.

J. H. Bücking Abhandl. vom Kniescheibenbruche, Stendal. 1789.

P. Kamper de fractura spatellae. Hag. Com. 1789.

J. B. Böhmer de callo ossium e rubiae tinctorum radicis pastu infector. Lips. 1752 und Progr. de ossium callo. Lips 1758.

Heekeren D. de osteogenesi praeternaturali. L. B. 1797.

Salzmann de articulationibus, quae fracturis ossium superveniunt. Argent. 1718. 4.

Gras im Journ. gener. de medic., chir., pharma etc. Paris 1800.

Autenrieth (resp. *Dorner*) D. de gravioribus quibusd. cartilaginum mutationibus. Tübing. 1798.

Sömmerring Abhandl. über Gichtknochen in *Blumenbachs* med. Biblioth. Bd. 3. St. 3.

Götz D. de morbis ligamentorum ex materia animalis mixtura et structura mutata cognoscendis. Hal. 1798.

Nro. CDLV.

Calv. al. mil.

Os frontale in locis oppositis globo sclopetario perforatum, ac restituta pro parte substantia ossea fere ad normam restitutum comparet.

Nro. CXII.

Calvariae fissura.

Fissurae duae ossis frontis et parietalis sinistri a lapsu ex tertia contignatione.

Abernethy Med. chir. Beobacht. übers. von *Meckel*. Halle 1809.

I. A. H. Reimari D. de tumore ligamentorum circa articulos, fungo articulorum dicto, Leyd. 1787.

Berends D. de fungo articulorum. Francof. 1804.

Bryan Crowther practical observations on the disaese of the joints, commonly called White-Swelling etc. new. edit. Lond. 1808. mit 7 illum. Kupfern.

Nro. CDLVI.

Calvaria seniculi a lapsu fracta.

Fissurae plures in ossibus bregmatis supra occiput, quarum una pollicum 6 longitudinis, cum frustis impressis.

Nro. CXI.

Cranium laesum.

Os temporis dextrum, osque frontis ejusdem lateris juvenis a latronibus dispercussa.

Nro. DXX.

Calvaria ab equo calcitrante disfracta.

Os bregmatis ad marginem inferiorem, osque temporis lateris dextri fissuris 5 diversae directionis notata. Trepanatione ter incassum tentata, rhedarius 40 annor. 9. die obiit.

Nro. XXV.

Cranium violentia fractum.

Tota pars orbitalis ossis frontis dextra calce equi disfracta. Trepanatione su-

pra fracturam incassum suscepta 7. die juvenis 16 annor. periit.

Nro. DLVIII.

Fractura ossis frontis.

Fractura haec ossis frontis sub forma arcus supra orbitam sinistram incipiendo, in utroque latere deorsum ad processum zygomat. sinistrum, et canthum oculi dextri internum vergens, os lacrymale complectens viro post trepanationem ter incassum tentatam mortem induxit.

Nro. CDLIX.

Calvaria suicidae sclopo disfracta.

Ossa faciem constituentia lateris dextri omnia una-cum osse sphenoideo et cribroso devastata.

Nro. CCVIII.

Cranium violentia disfractum.

Ossa faciei fere omnia, cum osse insimul cribroso, sphenoideo, occipitis, ac temporis dextro, maxilla inferiori non intacta, sclopo dispercussa.

Nro. CLXXXV.

Tetanus a festuca ossea.

Puer 10 annor. lapide ad canthum oculi internum ictus, et 5. inde die tetano correptus, paucas post horas animam exspiravit. In ejus cadavere nihil morbosi detegi potuit, quam frustulum processus nasalis ossis maxillae superioris exiguum, abscessu in cantho jam dicto exfoliatum, ramum nervi infraorbitalis tangens, quod ramum hunc irritasse, tetanumque tali modo induxisse videtur, eo magis, quum et ganglion semilunare nervi trigemini in latere affecto rubrum ac tumidum fuerit repertum.

β. Ex causa interna.

Nro. CCXXI.

Cranium incrassatum a).

Seniculi ad pollicem fere dimidium.

---

a) *Jadelot* Description anatomique d'une tete humaine extraordinaire etc. Paris 1799. 8. mit 1 Kupfr.

Nro. CCCXVII.

Calvaria vetulae cranio crassissimo.

Quidquam crassius priori.

Nro. DLXIII.

Cranium amauroticae.

Calvaria foeminae 28 annor. tenerae, a sex annis amaurosi oculorum affectae, tandemque tabe consumtae valde complanata, ad pollicem fere dimidium ubique incrassata, diploë in substantiam compactam transmutata, suturisque concretione ossium intima extinctis, substantiam osseam ubique locorum, et in basi sellaque turcica luxuriantem, uti et processus stiloideos enormes refert. Pondus illud calvariae foeminae normalis (quae libram pharmaceuticam plerumque aequare solet) unciis 17 superat. Gyri cerebri in lobis anterioribus praecipue, a pressione cranii monstrosi apparuere complanati, uti et hic substantia cerebri solito compactior. Nervi optici, quorum mentio in capite nervorum sub Nro. DLXIV. fiet, extenuati fuerunt.

Nro. CCXV.

Cranium hydrope extensum a).

Cranium adulti crassitiei chartae, in locis alias crassissimis vix lineam superans, ossibus ad suturam sagitalem et lambdoideam a se invicem pollicem fere dimidium remotis.

Nro CCXC.

Sceleton pueri hydrocephalici.

Cranium hujus pueri 5 annor., cui, convulsionibus saepius vexato, gressus et loquela defuit, enormiter extensum peripheriam pedis unius ac pollicum 9, longitudinem pollicum 7, latitudinem pollicum $5\frac{3}{4}$, profunditatem poll. $5\frac{1}{2}$ referens, crassitiei chartae tenuissimae, ossibus tamen ubique conjunctis, exceptis fontanella anteriori irregulari et fissuris duabus, a lapsu probabiliter ortis, membrana expletis, quarum una a fontanella mox dicta ad partem orbitalem os-

a) *Sömmerring* de cognitiore subtilioris systemat. lymph. in med. usu. Casall, 1779. p. 12.

sis frontis dextram; altera ab eadem fontanella ad angulum ossis bregmatis ejusdem lateris posteriorem inferiorem diagonaliter ducit. Quantitas aquae in cavo cranii dextro inter duram matrem et arachnoideam, ac in ventriculo cerebri sinistro contentae ad libras 4 et uncias 6 aestimata, ratione gravitatis specificae ad aquam destillatam se habuit, ut 1009:1000. Libra ejusdem chemice examinata dedit 4,8 gr. sodae vitriol. 17,28 gr. sodae muriat. 1,55 gr. sodae acidophosphoric. et 26 gr. lymph. coagulabil.

Nro. XXX.

Calvariae mollescentia.

Cranium viri nobilis osteosarcosi affecti impressionibus diversis in locis digitatis notatum.

Nro. CCXIII.

Calvaria maculata.

Superficies cranii externa in diversis regionibus maculis magnitudinis crucigeri dimidii, coloris grisei, texturae po-

rosae, ad laminam cranii internam quoque penetrantibus obsita.

Nro. CCXXXVIII.

Calvaria morbose mutata.

Cranium aurigae 46 annor., cui olim luctanti plura capitis vulnera fuerunt inflicta, ex quibus delirium exortum est temporaneum, ad suturam sagitalem in utraque facie ossis bregmatis sinistri plagam magnitudinis floreni cariosam offerens.

Nro. CCLXXXVI.

Calvaria fungo perfossa.

Cranium juvenis, sub Nro. CCLXXXV. in capite morborum externorum jam notatum supra processum mastoideum lateris dextri excrescentia ingenti fungosa, ex facie durae matris externa veniente, pluribus et magnis foraminibus perforatum.

Nro. CDLII.

Calvaria militis armis occisi.

Cranium hoc potius cariem ex causa interna, fors syphilitica repraesentat, quam vulnus traumaticum; nam os fron-

tis in latere sinistro foramen pollices minimum duos longum, unumque et dimidium latum, marginibus denticulatis, carie exesis, simulque incrassatis (ut in aliis exemplis cariei ex syphilide hic adservatis patet) cinctum refert, osse parietali dextro insimul plaga magnitudinis crucigeri cariosa notato.

Nro. CDXIX.

Cranii caries syphilitica.

Calvaria foeminae syphiliticae in medio ossis frontis foramen triangulare, carie erosum, enorme, a glabella incipiendo ossa parietalia petens, marginibus denticulatis, incrassatisque cinctum offert.

Nro. CCXIV.

Cranium syphilide erosum.

Calvaria foeminae syphiliticae, cujus ossa frontis ac bregmatis lateris sinistri maxima pro parte ulceribus syphiliticis tali modo erosa ac perforata sunt, ut ubstantia ossea in plagis his erosis miri-

fice crystallisata lichenes repraesentet pulcherrimos, haud facile describendos.

Nro. DLIX.

Calvaria pueri scrophulosi.

Cranium pueri 16 annor. scrophulosi, emaciati, abscessu supra aurem sinistram adfecti, ac apoplectice ex nimia puris quantitate in cerebro ipso collecta mortui, praeter suturam sagitalem et squammosam lateris sinistri, concretione ossium plane extinctas, in parte superiori adhuc refert duo foramima, quorum minus ad os temporale abscessu supra dicto cerebrum ipsum petente formatum, circumcirca ex — et interne plaga cariosa cinctum, nucem avellanam complecteretur minorem; alterum triplo majus in medio ossis bregmatis dextri, margine cicatricato, aequali, glabro notatum, in facie interna, substantia ossea consumta, vestigium ulceris exhibet. Facies ejus inferior ab una fovea articulari maxillae inferioris ad alteram, processibus maxillae mox dictae et partibus condiloideis occipitis non exceptis, carie arrosa ap-

parent, foramine jugulari lateris dextri triplo ampliori sinistro.

Nro. CCCXLIX.

Caries occipitis ex causa scrophulosa.

Processus articulationis ossis occipitis, atlantisque lateris sinistri carie penitus destructi.

Nro. CCCLXXXII.

Caries vertebrarum colli ex causa scrophulosa.

Partes condyloideae et pars basilaris ossis occipitis unacum atlante, praecipue in latere sinistro carie penitus destructae, epistropheo, et tertia colli vertebra pro parte carie arrosis.

Nro. CCLXXXIX.

Cranium maniacae.

Sella turcica carie apparet erosa, glandula pituitaria penitus destructa.

Nro. CDLXIX.

Sellae turcicae degeneratio.

Consumtio pro parte laminae sellae turcicae viri hydrope cerebri, ex syphilide orto, mortui.

Nro. XXXII.

Maxilla carie corrosa.

Ossa maxillae superioris ac inferioris ad dentes molares lateris sinistri ad auriculam usque carie corrosa, parotide penitus destructa. Ex puero scrophuloso.

Nro. DXXIX.

Maxilla inferior cariosa.

Pars anterior maxillae inferioris, pollices fere duos longa, ex abusu mercurii cariosa, exfoliatione expulsa. A puella nunc bene valente.

Nro. XLIV.

Osteosteatoma maxillae enorme.

Fabri lignarii maxilla lateris sinistri superior, extractione dentis canini violenta in osteosteatoma horrendum degenerata, faciem refert foedissimam; tumor enim enormis, pluribus in locis foede exulceratus, oculum sinistrum ex orbita protrusit, ab altero semovit, na-

sumque complanatum dextrorsum, angulum oris sinistrum deorsum pressit.

Nro. CCVI.

Dentes substantia vitrea privati a).

Calvaria cum dentibus omnibus substantiae vitreae loco colore nigro notatis foeminae elegantis 30 annor. quae dentes optans albos liquorem quemdam ab unquentaria porrectum in usum traxit. Albi quidem reddebantur: sed brevi tempore nigrescere coeperunt omnes.

Nro. DXLV.

Os hyoideum ulcere scrophuloso degeneratum.

Integrum os hyoideum adulti volumine tantum imminutum, partibus con-

---

a) *Plenk* de morbis dentium ac gingivarum. Vindob. 1778.

Hunter natürl. Geschichte der Zähne, und Beschreibung ihrer Krankheiten Leipzig 1780.

tiguis suppuratione scrophulosa devastatis vix amplius adnexum, sed libere quasi in lacu purulento denudatum pendebat.

b. Morbi ossium trunci.

α. Vertebrarum a).

Nro. CCXXVI.

Caries vertebrarum colli.

Arcus atlantis anterior cum processu odontoideo epistrophei carie fere consumtus. Ex causa scrophulosa.

Hirsch practische Bemerk. über die Zähne und einige Krankh. ders. Jen. 1796.

Ploucquet thes. prim. lin. odontidis sistens. Tübing. 1794.

a) *Fleischmann* de vitiis congenitis circa thoracem et abdomen. Erlang. 1810.

Alex. Demusy histoire de quelques affections de la colonne vertébrale etc. Paris 1811.

Fröhlich D. de curvatura spinae dorsi etc. Upsal. 1804.

Nro CDXLV.

Vertebrae dorsi a causa scrophulosa cariosa.

Corpus vertebrae dorsi 6. carie ex integro consumtum; corpora vertebrarum 5. et 7. pro maxima quoque parte corrupta; caetera vertebrarum corpora confinia, superius unum ad latus dextrum, inferiora duo ad latus sinistrum similiter carie erosa apparent.

Nro. CXCII.

Gibbus a vertebrarum carie.

Columnae vertebralis incurvatio ex defectu corporis vertebrae dorsi 6. carie consumti, vicinis vertebris nonnisi fascia longitudinali cohaerentibus illaesis. Ex viro 44annor. qui a longo jam tempore arthritide vexatus, doloribus tandem atrocissimis laborans contabuit.

Feiler de spinae dorsi incurvationibus etc. Norimb. 1807.

Donner D. de gibbositate. Götting. 1785.

Nro. CCXXII.

Caries vertebrarum dorsi.

Corpus vertebrae dorsi ultimae carie penitus consumtum, penultimae maxima parte, corpus primae lumborum magis, quam caetera confinium dorsi, lumborumque vertebrarum carie erosum apparet.

Nro. CCCLXX.

Caries vertebrarum lumbi a tumore lymphatico.

Corpora 3. et 4. vertebrae lumbalis carie ubique, sed maxima parte ad latus sinistrum erosa, ac insuper excrescentiis osseis, osteosteatoma quasi formantibus conjuncta conspiciuntur.

Nro. CLXIII.

Vertebrarum caries et anchylosis.

Columna vertebrarum dorsi, quarum corpora 9 inferiora carie erosa, corpora vero vertebrae 7. 8. et 9. fascia longitudinali diversis in locis per ejus decursum ossificata, anchylosi coadunata ap-

parent. Ex sene nobili arthritide diu vexato, tandemque tabe mortuo.

Nro. CCXXXI.

Specimen scoleoseos rarum.

Columna vertebralis integra in latus sinistrum simulque retrorsum ita curvata apparet, ut soleam ferream perfecte repraesentet.

Nro. CCXXXII.

Columna vertebralis in omnem partem incurvata.

Columna integra superius ac inferius antrorsum, in medio dorsi retrorsum, et in utrumque latus mire contorta; vertebris, costisque plurimis inter se anchylosi conjunctis, osse sacro simul distorto. Ex foemina 46 annor. phthisi ex haemoptoe frequenti mortua.

Nro. CLXXX.

Rhachitis senilis.

Columna vertebralis a rhachitide in utrumque latus ita incurvata, ut S romanum perfecte repraesentet.

β. Costarum et sterni a).

Nro. CDLVII.

Sternum mire incurvatum.

Os sterni in medio adeo antrorsum incurvatum, ut cum costis 3. et 4. gibbum enormem, et infra hunc versus cartilaginem ensiformem excavationem similem formet.

Nro. XCIX.

Sternum sutoris.

Sternum hoc sutoris 42 annor. obstructionibus affecti, cum cartilaginibus costarum pro parte ossefactis ad partem suam inferiorem ita impressum adparet, ut cum cartilagine xiphoidea oblongata plane ossificata, ac horizontaliter fere in anteriora directa angulum formet rectum.

---

a) *Sömmerring* über die Wirk. der Schnürbrüste. Berlin 1793.

Nro. CXLIII.

Caries sternum penetrans a).

Sternum foeminae 32 annor. lue venerea jam dudum vexatae, atrophiaque mortuae in medio ulcus magnitudinis crucigeri ad mediastinum anterius penetrans refert.

γ. Claviculae et scapulae.

Nro. CDLXXXIX.

Steatoma claviculam ambiens.

Clavicula costaque prima lateris sinistri vetulae, tabe extinctae steatomate librae circiter unius, tum sursum ad collum, tum deorsum in thoracis cavum protenso, ac exulcerato cinctae, carie adeo destructae sunt, ut tantum partes earum posteriores superstites, costamque hanc prope capitulum quoque carie destructam conspicere liceat; pulmonibus induratis simulque foedissime exulceratis.

Gazette salutaire de Bauillon 1789. s. in *Hufelands* neuesten Ann. der franz. A. W. Bd. I.

δ. Pelveos a).

Nro. CCXVII.

Sceleton infantis duorum mensium cum spina bifida b).

Processus spinosi ossis sacri hic juxta totam longitudinem ossis divisi patent.

Nro. CCXXIV.

Caries ossis sacri.

Os sacrum valde incurvatum, in facie anteriori carie erosum. Ex causa ignota.

---

a) *Joerdens* D. de vitiis pelvis muliebris. Erlang. 1787

Creve. Von den Krankh. des weibl. Beckens. Berl. 1796.

Walter von der Spaltung der Schambeine. Berl. 1782.

de *Tremery* D. de mutationibus figurae pelvis, praesertim iis, quae ex ossium emollitione oriuntur. L. B. 1793.

J. J. *Wiebert*. D. de excrescentiis praeternaturalibus ex interiore pelvis muliebr. superficie. Götting 1797.

b) *Hochstädter* D. de spina bifida. Altdorf. 1703.

Nro. CVII.

Os sacrum interna carie a tumore lymphatico arrosum.

Interna ossis sacri facies carie fere excavata.

Nro. DXLIV.

Ossa sacrum, et iliacum ad juncturam carie arrosa.

Ex cadavere pueri 12 annor. scrophulosi, qui jam 7. aetatis anno absque causa cognita, convulsionibus correptus, serius temulentia capitis ac vertigine perpetuo vexatus, ultra annum jam extremitates inferiores, praecipue lateris sinistri sensim magis torpescere sensit, donec tandem facultate sensus et motus

---

J. *Blatner* progr. de spina bifida. Lips. 1734.

Gild de spina bifida in *Halleri* coll. disp. pr. T. VII.

J. *A. Murray* progr. spinae bifidae ex mala ossium conformatione initia. Götting. 1779.

J. *F. Meckel* Handbuch der pathol. Anatom. Th. I. 8. Abschnitt.

decrescente paralyticae evaserint. Ad nosocomium delatus corpus praeter modum pallidum, tabe consumtum, et signa hydrocephali, praecipue oculos protrusos fixos, pupillam dilatatam, vocem sonoram, loquelam inconsuete lentam exhibuit. In regione lumbali sinistra abdominis tumorem praegrandem, durum, immobilem, ad attactum quidquam rudiorem indolentem, originem ignorans obtulit. Somnolentus semper, manu saepius automatice caput petiit, ac vomitu materiae aquosae, nonnunquam et indigestorum, indomabili contortus, alvo ac urinis sponte ruentibus, tandem tabe exhaustus periit. Cadaver ejus dissectum vasa membranarum, cerebri, ac substantiae hujus medullaris sanguine turgida; ventriculos cerebri omnes quantitate aquae limpidae unciarum 14 enormiter extensos; plexus choroideos laterales in vesiculas hydatidiformes transmutatos; cerebellum ad lobos posteriores scirrhosum, caeteroquin marcidum retulit. Visceribus abdominis omnibus sanis, in latere pelveos sinistro ad juncturam ossis

iliaci cum osse sacro tumor magnitudine capitis infantis neonati, sub musculo psoa et peritoneo sanis, ossibus tantum adnexus, pure mero foetente repletus apparuit, quem ulteriori indagine, ex ossibus mox dictis ad juncturam eorum carie devastatis, et periosteo ab ossibus separato simulque incrassato, musculo iliaco interno plane intacto, formatum reperi; carie canalem medullae spinalis petente.

Nro CLIII.

Osteosteatoma.

Librarum circiter quatuor, in cavo pelveos pueri 8 annor. post saltum vehementem exortum. Attento intuitu formae hujus tumoris externae. et casu simili, qui mihi quondam obvius fuit, persuasus sum, hoc osteosteatoma ossi sacro ad juncturam ejus cum osse iliaco inhaesisse. *).

---

*) Defectus historiae clariorem descriptionem, ac nosogeniae conceptum, prouti in pluribus aliis praeparatis, non permittit.

Nro. II.

Acetabulum carie arrosum.

Acetabulum dextrum puellae 8 annor. atrophia, ex coxalgia orta, mortuae integrum carie arrosum, margine relaxato circumdatum, capite, colloque femoris consumto.

Nro. XXI.

Acetabulum carie arrosum.

Acetabulum dextrum pueri 10 annor. scrophulosi, febri hectica mortui, carie plane destructum.

Nro. CCCXCVII.

Caries articuli femoris ex abscessu musculi psoas.

Acetabulum cum capite, collo, et trochanteribus ossis femoris carie devastatum.

Nro. CDI.

Caries acetabuli cum recenti fovea articulationis.

Acetabulum hoc viri adulti carie arrosum, ac amplificatum ad marginem

superiorem cavitatem condyloideam fere planam, ad novam cum capite femoris etiam plano articulationem formandam, marginemque reliquum superius ac posterius snbstantia ossea luxuriante, exostosi simili cinctum refert; capite et collo femoris, excepta facie condyloidea, simili carie et excrescentiis osseis destructis. Ex scorbuto hoc stadium coxalgiae ultimum ortum duxit.

Nro. XL.

Articulus femoris praeternaturalis.

Pollicem fere unum supra acetabulum ossis innominati sinistri puellae 15 annor. phthisi consumtae, post suppu rationem luxuriante substantia ossea pro parte maxima repletum, recens cavitas condyloidea, pro parte jam formata oculis patens tertium coxalgiae stadium refert.

c. *Extremitatum superiorum.*

Nro. CCCLXXXV.

Os bracchii a steatom. degeneratum.

Pars ossis brachii dextri media extrorsum exostosi, formam rosae imitante,

deformata, cujus in medio aditus in ipsum ossis cavum patet.

Nro. CCCLXIII.

Os brachii osteosteatomate enormi arrosum.

Pars superior ossis brachii dextri antrorsum plagam carie arrosam, massa ossea spongiosa cinctam praebet, cum frustis insuper substantiae hujus separatis, in osteosteatomate dispersis.

Nro. LIII.

Cubiti articulus carie corrosus.

Articulus cubiti mulieris 50 annor. phthisi pulmonali consumtae ex integro fere carie devastatus apparet, tegumentis tamen communibus, foraminulo magnitudinis calami scriptorii ad condylum externum excepto, integris, et normalibus cinctus. (In spiritu vini prostat).

Nro. DXXXI.

Caries ulnae ex fractura complicata.

Ulna vetulae sinistra fractura duplici obliqua cum festucis in partes tres aequa-

les partita, per integram longitudinem carie corrosa.

Nro. CLXIX.

Anchylosis ulnaris.

Os brachii dextri viri mediae aetatis ad partem superiorem unacum ejus capite penitus carie deformatum, cum ulna substantiae osseae ope perfecte concretum in ea quidem directione, ut angulum forment rectum, arteriis ceteroquin fere omnibus in artubus ossefactis.

Nro. CCXXXV.

Osteosteatoma ulnae ingens.

Inferior ulnae medietas ita destructa, ut nec vestigium illius, nisi fovea articulationis relicta, substantiae osseae ope cum illa radii hinc inde cariosi concreta, appareat, ejusque locum crusta occupet ossea, volumine caput infantis duorum annorum excedens, ovalis, excavata, qua massa ingens steatomatosa fuit involuta. Haec crusta ex majori quantitate substantiae osseae, quam ad hancce ulnae medietatem restituendam

opus esset, formata, reliquae parti ulnae firmiter adcreta, porosa, ac adeo mirifice crystallisata conspicitur, ut in superficie externa flores roris fenestrarum congellati quasi aemulans, specimen degenerationis ossis cylindrici referat rarissimum, verbis haud facile describendum, sed potius oculis admirandum. A milite, qui inscius causae, hoc malo per plures annos laboravit.

Nro. CCXXXIX.

Osteosarcosis.

Prima, secundaque phalanx digiti manus pueri 5 annor spina ventosa adeo incrassata, ut in diametro transversa illam ovi gallinacei attingat.

Nro. CCCXIII.

Ossa cariosa antibrachii amputati.

Ossa extremitatis superioris sinistrae, in specie: pars ossis brachii inferior, partes radii ac ulnae superiores unacum articulo cubiti. carie arrosae; ossa vero carpi, partes ossium antibrachii ac metacarpi confines, prouti et extremitates

phalangum, maxima pro parte devastata apparent. Ex sartore 20 annor. cui brachium, ulcere inter pollicem et indicem ex scabie praepropere fugata exorto, ac insuper ex infelici ad cubitum lapsu tumore ad articulum hunc enormi enato, exulceratoque, felici cum eventu amputatum est.

d. Extremitatum inferiorum a).

Nro. CCCLXXXVII.

Os femoris cariosum.

Hoc iterata amputatione felici cum eventu a viro obtentum, infimam partem cum patella carie maxima pro parte corrosam refert.

---

a) *Horns* neues Archiv. f. d. med. Erfahr. Bd. 5. Th. I.

Scarpa über die angebohrnen krummen Füſse, aus dem Ital. übersetzt von *Malfatti*. Wien 1804.

Joerg über Klumfüſse u. s. w. Leipz. 1806. 4.

Nro. CCCXCI.

Os femoris cariosum.

Hoc felici cum eventu amputatum condylos ambos carie destructos praebet.

Nro. CCCXXXIV.

Spina ventosa ossis femoris.

Pars ossis femoris infima tumefacta, in facie posteriori carie usque in cavum ossis pluribus foraminibus erosa apparet.

Nro. CL.

Sceleton praegrande cum carie crurum.

Ossa utriusque cruris, et pedis omnia*) viri 32 annor. altitudinis pedum 6 et policum 7, qui a multis jam annis ulceribus pedum laborans empyemate pulmonum obiit, a patella incipiendo ad digitorum phalanges usque ultimas carie arrosa.

---

*) De ossibus pedum nonnisi calcaneum et astragalus lateris dextri prostant, Reliqua invenire non potui.

Nro. CCXLVI.

Necrosis tibiae.

Tibia subjecti juvenilis epiphysibus orbata, frustum corporis sui pollices 5 longum, necrosi fere consumtum, in massa aequali ossea tumida inclusum, mobile monstrat.

Nro. CLVII.

Callus tibiae.

Tibia viri 30. annor. dextra oblique fracta, solis viribus naturae sanata.

Nro. CCCXLI.

Ossa utriusque extremitatis inferioris a puero rachitico.

Ossa femoris antrorsum, genua cum partibus ossium cruris superioribus postrorsum, inferioribus iterum antrorsum reclinantibus, incurvata apparent.

Nro. CCCXLII.

Ossa extremitatis infer. a rhachitide deformia ex adulto.

Extremitas breviata, valga: os nempe femoris antrorsum simulque extrorsum, genu in latus oppositum, infimae ossium

cruris partes iterum directione ossis femoris incurvata.

Nro. CDXCI.

Sceleton a rhachitide deforme foeminae post sectionem caesaream mortuae.

Specimen hocce deformitatis ossium ex rhachitide ortae rarissimum, ac ratione graviditatis, ejusque sequelarum maxima attentione dignum est sceleton foeminae 36 annor. altitudinis pedum trium ac quatuor pollicum, in Xenodochio impraegnatae, et tertia die post sectionem caesaream mortuae. Ossa cranii, vertebrae, costae, claviculae, scapulae, et ossa pelveos coloris rubro-grisei, valde compacta, particulis terreis abundantia, sicca: illa extremitatum vero flavam pinguedinem stillantia. Sutura sagitalis, et lambdocidea calvariae concreta; thorax ad latus sinistrum complanatus, claviculis valde incurvatis; columna vertebralis ad latus dextrum, simulque ad partem ejus inferiorem antrorsum ita incurvata, ut promontorium, ex corpore ver-

tebrae lumbi ultimae deorsum, et osse sacro horizontaliter retrorsum directo formatum, insimul cum symphisi ossium pubis, ossibusque iliacis valde excavatis, unacum pectine directione fere perpendiculari deorsum inclinatum appareat. Diameter recta pollicem nonnisi unum et dimidium aequat, transversa autem ob promontorium antrorsum valde protuberans, et interpositum, plane sublata. Os brachii utrumque extrorsum valde incurvatum, illis antibrachii incurvatione haud liberis. Extremitates vero inferiores S romanum exactissime repraesentant; ossa enim femoris extrorsum, illa cruris introrsum adeo sunt incurvata, ut singillatim spectata falces forment (praecipue illa extremitatis dextrae, quae ideo etiam pollicibus fere tribus brevior est sinistra), plantaeque pedum has ob incurvationes mirificas extrorsum spectent.

Nro. CDXL.

Rhachitis senilis.

Sceleton comitissae aniculae ossa omnia plus, minusve emollita offert. Os-

sa capitis, vertebrae, costae, sternum, claviculae, scapulae, et ossa pelveos maxima parte principio terrestri privata, mollia, exsiccatione corrugata, levissima exemplum osteosarcoseos, aut rhachitidis senilis *Frankii* sistunt rarissimum. Ossa extremitatum minus emollita, illa brachii et femoris ob majorem fragilitatem hinc inde diffracta, pinguedine fusca stillant.

2. Morbi musculorum a).

Nro. CLX.

Musculi albicantes surae.

Musculi surae, gastrocnemius, soleus, plantaris, et tibialis posticus in

---

a) *D. v. Schallhammer* Krankheiten der Muskelfasern, die in ihrer verletzten Form und Mischung gegründet sind in *Reils* Archiv. f. d. Phisiol. Bd. IV. St. II. S. 222.

Memoire sur la maladie de la veuve Melin, par *Saillant*. Paris. 1776.

massam albidam, pinguedini similem commutati foeminae 50 annor. a nativitate varae, cujus planta pedis in - et postrorsum versa moveri non potuit, musculis his ideo per totam vitam extra actionem positis.

Nro. CCCXIV.

Steatoma musculare.

Magnitudine nucis juglandis ex viro 50 circiter annor. robustissimo, febri quadam mortuo, cujus musculi plures similibus fuerunt steatomatibus obsessi.

Nro. CCCXX.

Steatoma brachii ingens.

Antibrachium viri 30 annor. phthisi consumti, tumore ingenti per totam lon-

---

Beobachtung und Beschreibung des Finnenwurms, bey den Menschen von *Himly* im Journal. f. d. p. Ar. 1809. St. XII. S. 115. mit 3. Kupfert.

gitudinem inter musculos et periosteum sito, steatomati simili praeditum conspicitur.

Nro. DLXX.

Diaphragma tuberculis obsitum a).

Pars diaphragmatis dextra in facie, superiori, cum pleura intime concreta, tuberculis variae magnitudinis, steatomatosis, coloris albi, duris obsita pluribus, quae originem pleurae ipsi, in genere una cum pulmone istius lateris tali modo degeneratae quidem debent: sed tamen cum substantia musculosa ac tendinosa diaphragmatis adeo concreta sunt, ut nequaquam ab illo separari possint. Ex viro

---

a) *Schenk* D. de diaphragmatis natura et morbis. Jen. 1671.

A. Fr. Hempel Tract. anat. pathol. de diaphragmate sano, et morboso. Götting. 1808.

Hallé Bulletin de l'eccle et de la societé de medicine de Paris 1808. Nro. VIII.

hydrothorace maxime affecto, de quo saepius adhuc sermo erit, pracipue sub Nro. DLXVII in capite organorum uropoëticorum.

Nro. CCV.

Acicula calce incrustata in musculo psoa inventa.

Acicula quondam deglutita probabili intestinorum perforatione ad musculum psoam dextrum devenit, ibique inflamationem ac vastissimam suppurationem musculi dicti, et iliaci interni in foemina quadragenaria produxit. Quo malo aegra vix liberata, febrim quartanam contraxit, et subsequo hydrope obivit. Post mortem tunc acicula haec pro maxima parte calce incrustata, ejus cuspide tantum denudata, ex musculo illo cum intestino coeco intime concreto fuit extracta.

3. Morbi cordis et vasorum.

a. Pericardii et cordis a).

Nro. VII.

Cor cum pericardio concretum.

Concretio cordis praegrandis cum pericardio valde tenui, a lapsu ex alto derivata. Ex viro 68 annor. qui hydrothorace laboravit.

---

a) *Luther* D. de pericardii, pulmonum, et partium genitalium anomaliis. Kiel. 1704.

Heimann D. de pericardio sano et morboso. Leid. 1729.

Haller de corp. hum. fabr. L. IV. Sect. I. P. XXII.

Pohl. Progr. de pericardio cordi adhaerente ejusque motum turbante, Lips. 1775.

Nebel Progr. de pericardio cum corde concreto. Giess. 1778.

de *Berger* D. de inflamatione cordis. 1717.

Nunn de corditide spontanea. Erford. 1788.

Metsger resp. *Morgfeldt* de cortidide. Regiomont. 1789.

Nro. DXV.

Pericardium cum corde intime concretum.

Pericardium in superficie externa floccis obsitum membranosis, extenua-

---

Senac. Traité de la structure du coeur et de ses maladies. Paris. 1777.

Boerhaave pathol. Betracht. des Herzens. §. 3. in den Sammlung. auserles. Abhandl. f. pr. A. B. IX.

Andry Untersuch. über die Wuth nach dem Bisse toller Thiere. Leipz. 1785.

J. G. *Walter* Sur les maladies du Coeur in d. mem. de l'acad. des Sc. a Berl. 1785.

Meckel über Bildungsfehler des Herzens in *Reils* Archiv. f. d. Phisiol. Bd. 6. H. 3.

Corvisart Essai sur les maladies et lesions organiques du coeur et de gros vaisseaux, deuxieme edit. Paris 1812.

Allan Burns Von einigen der häufigsten und wichtigsten Herzkrankh. aus dem Englischen. Lembgo. 1813.

Anton Jos. Testa. Ueber die Krankheiten des Herzens. Ein Auszug a. d. Ital. mit Anmerk. von *Kurt Sprengl.* Halle 1813.

tum, cum corde valde dilatato, plaga nonnisi minima in facie anteriori excepta, intime concretum, partibus adjacentibus, mediastino et diaphragmati pseudomembranis tam firmiter adhaesit, ut vix ab illis separari potuerit. E puella 24 annor. hysterica, et phthisica, palpitationibus cordis a longo jam tempore divexata, et apoplectice mortua.

Nro. XXIII.

Cor villosum a).

Cor praegrande adolescentis 22 annor. qui diu jam palpitatione cordis laboravit, undique pseudomembranis villosis obductum.

Nro. CXLVIII.

Cor reticulatum.

Cor ingens vetulae 60 annor. phthisi pulmonali consumtae, pseudomembrana

---

D. Friedrich Ludwig Kreysig. Die Krankheiten des Herzens systematisch bearbeitet und durch eigene Beobachtungen erläutert. 2 Th. Berlin 1815.

a) Bose Progr. de histor. cord. villosi. Lips. 1771.

retiformi villosa ultra lineas duas crassa obvolutum, pericardio valde incrassato materia puriformi repleto. *)

Nro. CXXIX.

Pseudomembrana cordis.

Cor mulieris cancro uteri enecatae ubique lympha coagulata floccosa tectum, pericardio sero cruento referto.

Nro. CDXXXIV.

Ulcera cordis a).

Ulcera haec numero 4 in facie posteriori pericardii valde incrassati margine gangraenoso cincta conspiciuntur, corde ipso autem intacto, flaccido.

Nro. CCCLXXIV.

Ulcus cordis.

Cor cum pericardio intime concretum in facie sua anteriori foramen ma-

---

*) Defectus historiae hic, uti et sequentibus in morbis cordis rarioribus valde dolendus.

a) *Hilscher* et *Schmiedel* de exulceratione periicardii et cordis Jen. 1749.

gnitudinis crucigeri exulceratum, in ventriculum dextrum ducens offert.

Nro. DLXXVI.

Valvulae semilunares ad aortam sphacelosae.

Vir 74 annor. qui sub phoenomenis pleuroperipneumoniae breve per tempus aegrotans, his mitigatis, derepente soporosus, ac fere paralyticus evasit, post mortem mox insecutam rara exhibuit phaenomena.

In encephalo, praeter quasdam concretiones membranarum cerebri, hinc inde incrassatarum, turgescentiam vasorum, et collectam in cameris aquam turbulentam nihil adeo notatu dignum apparuit.

Multo magis autem desorganisatio in corde, et organis parenchymatosis progrediebatur. Pericardium coloris lividi, sero sanguinis plenum; cor ipsum solito majus, collapsum, flaccidum, marcidum, sanguine vacuum, valde foetens, interne colore vix non livido unacum aorta tintum; valvulae semilunares ad

aortam coloris grisei, duae margine tumido, denticulato valde marcido perforatae, tertia in eodem loco, puncto profunde livido notata (quod cor adservatur); pulmones partibus vicinis adcreti, lividi, et praecipue dexter pro maxima parte in ichorem fusco-rubrum foetentem dissoluti; Sic et hepar, lien praegrandis, ac uterque ren, coloris lividi, marcida, fere dissoluta adparuere.

Nro. CCCXVI.

Fibrae musculares cordis praeternaturaliter extensae.

In viro 40 annor. qui hydrothorace periit, ventriculus cordis sinister triplo solito major, filamentis et fasciculis muscularibus singulari modo divisis ornatus apparet. Ratio inde elucet, qua natura functioni cordis succurrebat.

Nro. LXXVI.

Cor morbose dilatatum cum foramine ovali patente.

Pro parte patens foramen ovale conspicitur, ventriculo utroque dilatato.

Nro. DLI.

Ostium venosum cordis dextri enormiter dilatatum.

Cor voluminosum substantiae mollis, valde relaxatum, quam maxime vacuum, orificia tam venosa, quam arteriosa multum expansa, praecipue autem ostium venosum ventriculi dextri, parca quantitate sanguinis grumosi repleti, ad valvulas tricuspidales enormiter, ad pollices fere 5 in peripheria dilatatum refert.

Ex gossipiario 54 annor. toroso, qui pluribus abhinc annis ex refrigerio et pulvere, cui ex officio suo semper expositus fuerat, pulmones infestante, catarrho, tunc tussi chronica, subinde et sputis cruentis, et aliis thoracis difficultatibus vexatus, ultimo vitae mense sequentia praecipue phoenomena exhibuit: anxietatem praecordialem magnam, dyspnoeam frequentem; palpitationem cordis; tussim moderatam, sputa parca flava, quandoque viridia, aut mucosa cinerea, aut etiam nulla; decubitum lateralem; pulsum irregularem; alvum morigeram;

sudores fere nullos His adhuc ultimis diebus accessit oppressio peripneumonica, tussis validior cum sputis solitis; febris intensior, delirium mite, urinae parcae, pulsus intermittentes.

Hisce sub phoenomenis morte suffocativa miser periit, et cadaver ejus praeter abnormitatem cordis destriptam adhuc libram seri in pericardio; duas libras ejusdem seri in cavo thoracis; ac pulmones pleurae adcretos; in lobo pulmonis dextri supremo vomicam adhuc clausam, infimi nec vestigium, non consumti, sed penitus deficientis; pulmonem sinistrum tuberculis duris, hincinde exulceratis obsessum retulit.

Nro. CLXXVII.

Dilatatio cordis.

Anevrysma cordis ac arteriarum majorum enorme, quod in viro 36 annor. symptomatibus suis hydrothoracem mentitum est; quum exigua tamen nonnisi quantitas seri in cavo thoracis postea inveniretur.

Nro. CCXCIV.

Anevrysma cordis ingens.

Ventriculi cordis maniaci, asthmate periodico simul vexati, tabeque consumti, enormiter expansi conspiciuntur.

Nro. CCCXLV.

Polypus cordis verus a).

In corde infantis neonati dextro membrana crassa, carnosa, apici et auriculae dextrae firmiter affixa, per cavum ventriculi ac atrii dextri libere fluctuans.

Nro. CCCLXXXVI.

Valvulae cordis ossificatae.

Valvulae mitrales et semilunares ad aortam una cum hac ossefactae; valvulae semilunares ad arteriam pulmonalem incrassatae, callosae; arteriae coronariae quidquam dilatatae. Ex causa non nota.

P. J. *Gärtner* D. pathol. med. de polypo cordis in specie infantum etc. cum tab. aen. 1810. 8.

Nro. CCL.

Valvulae cordis ossefactae.

In corde ingenti cum pericardio intime concreto viri 36 annor. Dris Med., qui jam septimo aetatis anno arthritide vexari incoepit, et ab aliquot annis angina pectoris laborans accedente febri suffocatus obivit, valvulas semilunares aortae ossefactas, ac orificium ventriculi sinistri venosum margine osseo crasso cinctum videre licet, arteria insimul subclavia sinistra pro parte ossificata.

Nro, CCXLIX.

Substantiae cordis ad valvulas mitrales ossificatio.

Mulier quadragenaria longo a tempore jam morbo podagrico, doloribusque serius artuum fere omnium divexata, his derepente cessantibus, hydrothoracica evasit, ac suffocata poriit. In thorace aquis repleto pericardium incrassatum, fere callosum, cum corde intime concretum, substantiam cordis ipsius ad valvulas mitrales ossefactam, aortam simul

ascendentem punctis obsitam osseis retulit, quae ossificationes exsiccatae adservantur.

Nro. CDXCVII.

Ossificatio substantiae cordis ad valvulas mitrales.

In sutore 29. annor. a longo jam tempore obstructionibus viscerum abdominis adfecto, tum per aliquot septimanas respiratione difficillima, anxietate ad hypothimiam usque maxima, somno nonisi reclinato capite concesso, valde excruciato, ac tandem suffocato, praeter hanc ossificationem orificii totius venosi, ac valvularum semilunarium cordis sinistri exficcatione conservatam, plura adhuc notatu dignissima apparuerunt: sic pericardium dilatatum, unciis circiter decem seri sanguinis refertum; cor dextrum lympha coagulata, polypum repraesentante plenum unacum venis cavis, et arteria pulmonali valde dilatatum; cor sinistrum amplissimum, sed collapsum; hepar et lien praegrandia, dura, sanguine atro infarcta; venae fere omnes morbose extensae.

Nro. CDXCVIII.

Ossificatio cordis sinistri.

Orificium cordis sinistri venosum cum valvulis mitralibus osseum, sic et valvulae semilunares aortae plagis osseis obsitae, ac arteriae coronariae maxima pro parte ossefactae. Ex maniaca 76 annor. quae inquietudine maxima per noctes in cubiculo lamentans circumacta, tandem debilitate periit. Praeter ossificationem hanc adhuc turgescentia sanguinis in encephalo, unciae feri duae in cameris contentae, arteria utraque ophthalmica ossificata; in thorace pulmones collapsi, pericardium extenuatum unciis 8 aquae fuscae repletum, cor ipsum cruore refertum unacum venis cavis et arteria pulmonali valde dilatatum reperiebantur.

Nro. CLXXXIX.

Ossificatio substantiae cordis.

Hoc specimen rarum in peripheria basis cordis magnitudine normalis anulum osseum, pericardium cum corde conjungentem, ossificationem quoque arte-

riae coronariae, orificii venosi sinistri, ac valvularum semilunarium ad aortam demonstrat. Plura hoc de casu nescio.

Nro. CCCXLVIII.

Ossificatio cordis interna.

Ossificatio valvularum semilunarium ad aortam dilatatam, simulque ossefactam.

Nro. CDLVIII.

Ossificatio cordis et arteriae aortae.

In specimine hoc pulcherrimo valvulae semilunares ad aortam, haec ipsa per totum suum tractum, ac arteriae ex hac venientes majores, a coronaria cordis incipiendo, divisione carotidis in ex- et internam non excepta, usque ad iliacas, imo hypogastricas et femorales omnes sine interruptione ossefactae conspiciuntur. Sed defectus historiae morbi et hic valde dolendus. *)

---

*) In his octo casibus allatis, pluribusque aliis cadaveribus a me dissectis, ossificationes semper

b. Arteriarum a).

Nro. CDLXXVII.

Ulcus ad arcum aortae.

Ulcus hoc diametri pollicis unius ac semis ad exordium carotidum parietem

---

in corde sinistro, nunquam vero in dextro reperi. Quaestio igitur maximi momenti, hic loci movenda, mihi occurit, quare ossificatio cordis sinistri saepissime, illa vero cordis dextri fere nunquam obvenit? an ratio causalis qualitati sanguinis in pulmonibus permutatae, aut majori illius in corde sinistro motui intrinseco adscribenda?

a) *Faselius* D. sistens morbos arteriarum. Jen. 1757.

Langswerth, theor. med. de arter. et venar. in corpore hum. affectionibus. Prag 1763.

Graefe de notione et cura angiectaseos labiorum ratione habita communis vasorum morbosae extensionis. Lips. 1807. 4. c. fig.

Scriptorum latinorum de anevrysmatibus collectionem edidit atque praefatus est *Thom. Lauth*, §. XV. icon. Argent. 1785.

anteriorem aortae hic valde dilatatae perforans conspicitur. Historia morbi iterum deficit.

Nro. CCXXXIII.

Systema arteriosum senis centenarii.

Arteriae omnes hic valde dilatatae, licet quantitas sanguinis solito minor in illis contenta fuerit, apparent.

Nro. CCCLII.

Aorta variegata.

Aorta ascendens valde dilatata in facie interna maculas protuberantes albi-

---

Scarpa sull. anevrysma etc. 1804. deutsch mit Anmerk. und Zusätz. von *Harles*.

Pohl. de ossificatione vasorum. 1774.

Joh. Pet. Franks. Biographie. Wien 1802. S. 57.

Stenzel de steatomatibus in principio arteriae aortae repertis. Vitemb. 1723.

das, ceu primum ossificationis germen refert.

Nro. CLXXV.

Anevrysma aortae ingens.

Aorta ascendens una cum arcu enormiter, saltem ad diametrum in omni dimensione transversam pollicum 5 dilatata, cum sacco quodam magnitudinis pomi majoris, in parte ejus anteriori haerente, lympha cruenta coagulata pleno communicans; corde tamen a statu normali non deflectente. Ex muliere asthmate chronico, ac hydrothorace pedisequo enecata.

Nro. DLXXV.

Anevrysma arcus aortae spurium cum carie sterni.

Tunicae internae arcus aortae ab ascendente ad innominatam usque, dia-

---

Larrey memoire de chir. milit. et campagn. Paris. 1812.

metri longitudinalis minimum pollicum duorum disruptae, margine hiante, cicatricato, tumido ac fere calloso in cavum anevrysmatis patentes; externae tunicae enormiter dilatatae saccum praegrandem, pugnum virilem magnitudine aequantem, cum sterno carie destructo, ac perforato intime concretum formantes, conjunctin exemplum exhibent anevrysmatis spurii elegantissimum (veri Scarpae) Ex textore 33 annor. qui ante ultimos duos vitae annos ad spectaculum quoddam videndum, magna turba hominum inclusus ac compressus exordium hujus mali persensit, ac ab illo tempore nunquam amplius sanus, difficultatibus diversis, circulationis et respirationis laesae indies crescentibus vexatus, suffocatus tandem obiit.

Nro. XXXIV.

Anevrysma arcus aortae.

Paries aortae anterior prope exortum carotidum in saccum enormem magnitudinis pugni virilis extenuata, ruptaque patet.

Nro. XCVI.

Anevrysma arcus aortae ruptum.

Arcus aortae ad pollices 4 in omni dimensione dilatatus, retrorsum ruptus, cum trachea sibi adcreta ulceris notabilis ope communicans, corde insimul dilatato. Absque ulla historiae notitia.

Nro. CCCX.

Anevrysma aortae descendentis thoracis.

Arteria aorta foeminae 40. annor. ad ultimas dorsi vertebras in saccum amplissimum, stomachum apertum fere repraesentantem expansa, faciem internam variegatam, pseudomembranis crassis obsitam referens.

Nro. XXII.

Anevrysma aortae abdominalis.

Aorta ad arteriam coeliacam foramen magnitudine nucis avellanae exulceratum, facco carnoso rupto, nunc corrugato cinctum praebet.

Nro. CLXVI.

Anevrysma aortae abdominalis.

Aorta ad exordium arteriae coeliacae, una cum hujus initio in saccum magnitudinis pugni virilis extensa.

Nro. CDLXX.

Anevrysma arteriae subclaviae.

Subclavia hic ita dilatata obvenit, ut saccus enormis pro parte ex tunicis arteriae, pro parte autem ex massa scirrhosa compositus faciem internam spongiosam, sabulum continentem referat.

Nro. CCCLXXXIV.

Anevrysma arteriae subaxillaris.

Anevrysma hoc enorme injectum medietatem brachii superiorem occupat.

Nro. CCCLXXXIII.

Anevrysma popliteum.

Praegrande hoc arteriae cruralis anevrysma, ultra divisionem ejus in tibiales pertingens, poplitem integram explet.

Nro. CCXXV.

Anevrysmatis cruralis polypus.

Anevrysma arteriae cruralis ingens ruptum, ac jam pro maxima parte destructum excrescentias membranaceas polyposas refert. Ex scrinario 36 annor. qui nimis sero auxilium petiit medicum, et doloribus maximis excruciatus contabuit.

Nro. CLV.

Anevrysma aortae ascendentis.

Aorta ascendens cum arcu suo ad diametrum solito quadruplicem majorem dilatata, interna facie crusta ossea obducta.

Nro CLXXXVIII.

Aorta anevrysmatica ossificata.

Arcus aortae dilatatus, in facie interna substantia ossea obductus.

Nro DLXVI.

Aorta dilatata ossificata.

Aorta a corde ad diaphragma usque ad volumen triplum dilatata, punctisque

osseis in facie interna numerosissimis obsita viro adulto apoplexiam induxit.

Nro. CCLXIV.

Aortae ossificatio.

Aorta supra valvulas, et ad carotides lamellis osseis praedita. Ex vidua militis, 72 annor. anxietate praecordiorum, palpitatione cordis, et respiratione difficillima jam quinque per annos vexata, hydrothorace tandem mortua. Constantissimum symptoma ossificationis cordis ac aortae ascendentis cum arcu, vibrationem videlicet carotidum vehementem et hocce in casu observare licuit, comite simul vomitu.

Nro. CDXLIV.

Aorta ossificata.

Arcus aortae ad exordium carotidum ossefactus.

Nro CDXXI.

Ossificatio aortae.

Aorta ab exordio coeliacae ad diramificationem hypogastricae et femoralis usque plagis osseis instructa.

Nro. CLXXVI.

Aorta ossificata dilatata.

Aorta abdominalis quidquam dilatata, ossiculis inter tunicas dispersis praedita. Ex viro nobili summa anxietate pectoris jam dudum vexato, ac tandem suffocato.

Nro. VI.

Aortae ossificatio.

Aorta abdominalis a meseraica superiori ad arteriam femoralem usque ossificata. Ex viro 38 annor. hydrothorace mortuo.

Nro. DLXXI.

Aorta ossificata.

Aorta abdominalis ad diramificationem in iliacas una cum his et initio femoralium in facie interna frustis osseis instructa. Ex viro, de quo jam in capite musculorum sub Nro. DLXX. sermo fuit, et adhuc saepius erit, praecipue in capite morborum renum sub Nro. DLXVII.

DXXXIV.

Arteriae lienis anevrysmaticae et ossefactae.

Flexurae arteriarum in substantia lienis dispersim dilatatae, ac perfecte ossefactae. Ex muliere ictero chronico affecta, ac tandem ascitica tabe consumta, de qua in capite morborum cystidis felleae sub Nro. DXXXII et DXXXIII iterum mentionem faciam.

Nro. CCCLX.

Aorta anevrysmatica calculosa.

Specimen hocce omnino rarissimum saccum refert ingentem, ex substantia crassa spongiosa formatum, aortae ac arteriae coeliacae adeo adcretum, ut una cum illis, parietibus destructis, communem constituat cavitatem, quae diverticulis pluribus instructa in his calculos variae magnitudinis et formae numero 8 continet flavos, quorum maximus prunum majorem volumine superat. Historia morbi deest.

c. *Venarum.*

Nro. DXLVII.

Ossificatio rami venae portae.

Extispicium cadaveris viri 50 annor. ascitici, tabeque mortui monstravit lienem parvum, membrana crassa fere cartilaginea cinctum, illius substantiam marcidam coloris rubiginosi; ramum venae portae lienalem ad ipsum lienem aeque, ac in medio decursus quidquam dilatatum atque ossefactum (quae ossificatio exsiccata adservatur); hepar decoloratum ex flavo in griseum ludens, marcidum quoque; vesicam fellis albidam, collapsam; pancreas induratum.

4. Morbi glandularum vasorumque lymphaticorum a).

a. Colli.

Nro. CCCXXXIX.

Scrophulae jugulares injectae.

Glandulae jugulares scrophulosae, arteriis injectis, figuram fere racemosam repraesentant.

---

a) *Warthon* Adenographia.

Richard Russel de tabe glandularum. Oxon 1750.

Ejusdem Oeconomia naturae in morbis acutis et chronicis glandularum. Lond. 1755.

Stompathy D. de morbis glandularum secundum aetatem. Wien 1782.

Assalini Essai medical. sur les vaisseaux lymphatiques. Turin 1787. Deutsch. Dresden. 1792.

W. Cruickschank The anatomy of the absorbent vessels of the human Body. Lond. 1790.

P. Mascagni vasorum lymphaticorum. c. h. historia et ichnographia. Sens. 1787. med. fol. übersetzt und vermehrt von *Ludwig*. Leipz. 1789 und 1794, in drey Bänden. 4.

Nro. CCCLIV.

Aspera arteria glandulis tumidis compressa.

Trachea usque ad bronchia glandulis scrophulosis compressa apparet.

b. Thoracis.

Nro. LXIV.

Glandulae bronchiales scrophulosae.

Hae adeo tumidae, ut bronchia compresserint, et, absque ulla in cavo thoracis aqua, symptomata tamen hydrothoracis in viro produxerint.

Nro. CCCXLIV.

Scrophulae pulmonales.

Glandulae bronchiorum ad ramos minores materia sebacea tumidae.

Sömmerring de morbis vasorum absorbentium. Francofurti 1797.

Desselben Gefässlehre. S. 583.

Larrey memoir. de chirurg. mil. Par. 1812.

Nro. XXXV.

Tumor in cavo thoracis steatomati similis.

In viro 32 annor. scrophulis ad collum et sub axillis donato, dispnoea, qua jam per plures menses laboravit, tandem febre rheumatica superaccedente suffocato reperiebantur glandulae circa tracheam, et bronchia ita degeneratae, ut tumores plures, ad latus dextrum vero unum praegrandem, ac fere scirrhosum referant, quo praecipue pulmo dexter magnopere in sua praepediebatur functione.

Nro. CLXXIV.

Pulmonis glandulae ossefactae.

Glandulae circa bronchia foeminae 36 annor. peritonitide puerperali mortuae, in substantiam osseam commutatae, pulmonibus illibatis.

Nro. CLXXXVI.

Tetani causa rarissima.

Glandula retro pulmones juxta latus oesophagi sinistrum sita, nervo hujus

lateris vago, fundo stomachi prospicienti adjacens, ossea, aculeisque instructa, quae irritando tali ratione hunc nervum unica tetani universalis causa fuisse videtur. E puero 11 annor. constitutionis corporis sat firmae, qui, exceptis variolis, adhuc omni morbo intactus derepente vesperi, absque ulla causa cognita, doloribus faucium correptus, tempore matutino alterius diei statuae ligneae instar, absque omni motu, sensibus tamen ex- et internis, voceque perstantibus, jacuit. Hoc in statu convulsionibus simul abdominis et dorsi, ac sensibilitate maxima detentus, omnibus auxiliis incassum adhibitis, tertia morbi die miser exspiravit, et sectio cadaveris praeter hanc ossificationem glandulae, et signa inflamationis regionis ventriculi, ubi nervus supra dictus expanditur, nil morbosi retulit.

Nro. XIII

Glandulae bronchiales calculosae.

Glandulae hae permagnae circa tracheam ad ramos usque minores bronchio-

rum, praecipue lateris dextri sitae, concrementis calcareis grumo sanguinis atro mixtis refertae. Ex fabro ferrario 37 annor. qui catarrho pluries exantlato, phthisi tandem, sputis derepente suppressis, sub temulentia et delirio consumtus est. Unciae 5 seri in ventriculis cerebri, libra in pericardio, pulmones diversimodo degenerati insimul reperiebantur.

Nro. DXLIX.

Concrementa calcarea ex glandulis bronchiorum.

Diversae magnitudinis calculos superficiei asperae repraesentantia numero 7. Ex eadem foemina, quae in capite de morbis ovariorum sub Nro. DXLVIII. obveniet.

Nro. DLII.

Concrementa calcarea glandularum bronchiorum.

Glandulae bronchiorum foeminae 31 annor. phthisi, hydropeque defunctae, minimum numero 13 in substantiam,

nec osseam, nec lapideam stricte dicendam, sed potius cretaceam commutatae.

c. *Abdominis.*

Nro. CXXXVII.

Icterus a tumore glandularum lymphaticarum.

Specimen hoc lienem praegrandem, pseudomembranis obsitum, substantia fere durum; pancreas coloris lividi flaccidum, glandulis tumidis cinctum; sic et insertionem ductus coledochi in duodenum glandulis valde tumefactis compressam refert.

Nro. LXXVIII.

Scrophulae meseraicae.

Glandulae meseraicae ex puella 8 annor. diu ascite afflicta, tandemque atrophia extincta, materia scrophulosa adeo refertae, ut nuces juglandis diversae magnitudinis repraesentantes, mercurium vasis lymphaticis injectum nequaquam transmitterent.

Nro. CXXXV.

Glandulae meseraicae in tumorem concretae ingentem.

Ingens omnium meserei glandularum, materia pastacea refertarum, tumor, magnitudine capitis adulti, librarum minimum sex, intestinis crassis simul enormiter dilatatis, foeminam 26 annor. ab infantili jam aetate scrophulis vexatam tabe enecuit, cujus degenerata vassa lactea sub Nro. sequenti CXXXVI. habentur.

Nro. CXXXVI

Vasa lactea morbosa materia repleta.

Pars intestini tenuis vasa lactea glandulasque quasdam meseraicas materia albida injecta quasi praebet. Ex foemina mox allata.

Nro. CCLXXXIII.

Vasa lactea obstructa.

Intestinum tenue, ut in casu priori, vasa lactea materia albida monstrat referta. Etiam ex foemina scrophulosa.

Nro. CCCXXIV.

Vasa lactea adipe repleta.

Pars intestini tenuis cum mesenterio vasa lactea, una cum eorum glandulis adipe mero plena refert *).

Nro. XCVII.

Tumor scirrhosus ovarii.

Tumor hic enormis, ponderis circiter librarum 16, durus mesenterium, praecipue mesocolon descendens et mesorectum occupans, basi abdomen, apice pelvim spectans, cum vesica urinaria, utero, ovariis, et tubis Fallopianis valde dilatatis ita concretus, ut haec peripheriam tumoris inferiorem quasi amplecterentur. Ex muliere 73 annor. quae semper usque ad aetatem, qua menstrua cessare solent, perfecta sanitate gavisa, ab hoc tempore vero febribus saepius intermittentibus vexata est, quarum ultimam cor-

*) Idem casus, imo vasa lactea intestinorum quoque crassorum adipe repleta, bis mihi in ascite mortuis obvenit.

tice peruviano incaute fugatam hic tumor cum ascite subsequebatur.

Nro. LV.

Glandulae meseraicae ossefactae.

Glandulae hae in substantiam osseam mutatae nuces juglandis repraesentant. Ex viro quadragenario, quiictero periodico, ex calculo collum vesicae felleae obturante, laborans, tabe periit, de quo in capite morborum cystidis felleae sub Nro. LIV. iterum loquar.

Nro. CCLXXIV.

Glandulae meseraicae ossefactae.

Hae numero 10 perfecte ossefactae, variae magnitudinis, exsiccatae adservantur. Ex viro tabe consumto.

Nro DLXIX.

Glandula lymphatica ad vesicam urinariam ossea.

Glandula haec ad parietem posteriorem vesicae urinariae sub Nro. DLXVII. afferendae sita, in substantiam osseam

magnitudinis faseoli compactam degeneravit.

Nro. DLIII.

Glandulae ad arcum minorem ventriculi in substantiam calcaream degeneratae.

Glandulae hae ejusdem foeminae sub Nro. DLII. hoc in capite allatae plures, conjunctim et singulae in massam calcaream praegrandem degenerarunt.

Nro. CDXXXVII.

Calculi in mesenterio maniaci atrophici inventi.

Glandulae meseraicae seniculi maniaci atrophia mortui, terra calcarea refertae numero 7, quarum maxima nucem avellanam aequat volumine, ceteris quidquam minoribus.

Nro. CCXCIII.

Scrophulae thoracis, abdominisque.

Glandulae lymphaticae jugulares, bronchiales, aesophageae, ac meseraicae una cum cisterna lumbali materia pasta-

cea refertae, uvas quasi repraesentantes. Ex muliere 30 annor. hydrope universali mortuae.

Nro. DXXXV.

Degeneratio testis, funiculi spermatici, ac viarum lymphaticarum in massam steatomati analogam.

Omnes fere viae lymphaticae viri tabe consumti (totus tractus ductus thoracici cum cisterna lumbali, et glandulis eum ambientibus ab ultima lumbi vertebra ad tertiam usque dorsi desuper, glandulas ad insertionem ejus in venam subclaviam complectens, sic et funiculus spermaticus cum teste lateris sinistri) in massam steatomati analogam, volumine enormem, ponderis librarum minimum 10 commutatae apparent. Testiculus hic magnitudinem capitis neonati attingens substantiam submollem, uberibus similem refert, funiculo spermatico, ejusdem consistentiae, ad pollicem unum et dimidium incrassato. Cisterna lumbalis autem volumine monstroso prelum abdominale con-

tingens, hepate et ventriculo volumine imminutis sursum, intestinis tenuibus cum mesenterio deorsum in cavum pelveos, crassis ad peripheriam cavi abdominis, pancreate perexiguo flaccido antrorsum, renibus retrorsum pressis, aortam amplectens, abdominis cavum pro maxima parte explevit, superficiem tuberosam, substantiam submollem lardaceam ostendit; ductus, proprie sic dictus thoracicus diaphragma vix transgressus, voluminis non multum priori minoris, ac consistentiae ejusdem, spatium mediastini posterius enormiter expansit. Pulmo sinister mole ductus thoracici, et aqua insimul in cavo hoc ad mensuras 4 collecta adeo compressus apparuit, ut reperi vix potuerit. Glandulae supra et infra claviculam ad ostium ductus thoracici sitae. eodem modo degeneratae glomera duo librae unius circiter constituunt. Et integra haec horrenda degeneratio omnium harum partium solumodo ex pressione testiculi hujus supra dicti exorta fuisse videtur; cum aeger ipse nullam aliam adsignare potuisset causam.

Nro. DXIX.

Glandulae lymphaticae in substantiam hydatidiformem degeneratae.

Glandulae lymphaticae circa aortam abdominalem, et thoracicam una cum cisterna lumbali et parte inferiori ductus thoracici in vesiculas magnitudinis pomi, pluresque minores, aqua limpida viscida plenas mutatae, causa ignota. Ex viro tabido, qui paulo ante teste sinistro enormi in similem substantiam cum funiculo, sed compactiorem commutato castratione privatus, post aliquot dies obivit, et de quo in capite morborum sexualium sub. Nro. DXVIII. adhuc sermo erit.

e) *Extremitatum inferiorum.*

Nro. DXXVII.

Glandulae inquinales lateris dextri in steatoma degeneratae.

Tumor enormis ponderis librarum 6, figurae ovalis, massae internae nec scirrhosae, nec steatomatosae facile apellandae, regioni inquinali a spina ossis

iliaci anteriori ad scrotum usque oblique insidens, cultro infelici cum successu exstirpatus; quum similis desorganisatio in cavum abdominis usque sese extenderit. Ex viro 40 annor. constitutionis corporis robustae cumulo terrae quondam obruto, in cujus cadavere praeter illam massam in abdomine inter péritoneum, musculos, et vesicam urinariam sedem figentem, glandulas quoque axillares tumidas, adipem femoris in massam compactam fere duram permutatum, acetabulum ichore repletum, ligamentum teres consumtum, et caput femoris carie arrosum detegere licuit.

5. Morbi nervorum et cerebri, una cum partibus illud circumdantibus a).

a. *Membranarum cerebri.*

α. durae matris b).

Nro CCII.

Dura mater pseudomembrana obducta.

Pseudomembrana faciem internam meningis maniacae 36. annor. obducens crasissima, ex lapsu ab alto exorta.

---

a) *Hermann Boerhaavii* de morbis nervorum praelectiones academicae, ed. *J. van. Ems.* L. B.

Van der Haar Ueber die Beschaffenheit des Gehirns, der Nerven, und einiger Krankh. desselben, a. d. Holländ. von *J. B. Keup.* Stendal 1794.

Winkelmann D. historia pathologiae cerebri. Specimen primum Götting. 1803.

b) J. und *C. Wenzel* über die schwammichten Auswüchse auf der äusseren Hirnhaut. Mainz. 1810. in fol. m 6. Kupfern.

Nro CCLIII.

Dura mater exulcerata.

Meninx viri, lue venerea adfecti, ad pollicem in diametro unum et dimidium exulcerata ex topho cranii.

Nro. XCIV.

Pseudoorganisatio in encephalo deprehensa.

Singularitas hujus casus fusiorem descriptionem excusabit. Sacerdos 62 annor. staturae procerae, corporis macilenti, capitis calvi, temperamenti sanguinei, suis in negotiis strenuus, parcam ciborum ac potulentorum copiam assumere solitus, licet junior subinde magnam quantitatem vini, aliorumque spirituosorum sine aut minimo ebrietatis signo

---

Wenzel de penitiori structura cerebri etc. Tübing. 1812.

Albrecht praes. *Böhmer* de ossificatione durae matris etc. Hallae. 1764.

M. C. Ludwig de hydrocephalo cerebri puerorum. Lips. 1774.

sustulerit; ultimis vitae annis tamen a minima vini assumti dosi sensuum turbatorum signa manifestavit. Valde semper indulgebat somno, ex quo ante tempus consuetum difficulter erat excitandus: ac si tamen praemature fuerit excitatus; per aliquot tempus dementia detinebatur: voluit e. g. ad interrogata respondere, sed non invenit verba; vocavit servum, sed huic venienti nil voluit; salutavit sibi appropinquantes, sed nullum amplius signum edidit, utrum illos cognosceret, nec ne. Nullius morbi, praeter febrim malignam putridam ante 20 jam annos exantlatam, sibi conscius ultimo tandem vitae anno cephalalgia vehementi per novem fere menses sub vario typo durante vexabatur: Ab initio cephalaea fuit continua cum febri per octo dies perseverans. Postquam tunc per duos fere menses sanitate fruitus est, cephalaea iterum invasit, quae primo omni alterno, dein omni die, eadem hora sine alicujus functionis laesione recruduit. Tres septimanas vix illi parcens cephalalgia rursus magna cum vehemen-

tia apparuit, nunc omni die, et eadem hora recrudescens, ac singulis sub invasionibus urina cum sedimento lateritio stipata. Quamvis omnia remedia hic indicata fuerint adhibita; tamen cephalaea nunc bis per diem rediens continua quasi evasit cum pulsibus frequentia normalibus, sed suppressis; pusilanimitas simul, ac symptomata gastrica accesserunt. His molestiis therapia rite adhibita mitigatis, mensem aeger integrum in statu sat tolerabili transegit. Sed absque causa occasionali nunc derepente dementia correptus, fatuus, judicio (alias semper vigente) memoria, et sensatione privatus, unam alteramve manum vicissim capiti automatice admovens, oculis apertis suspiria edens profunda, tarde degluttiens, alvum urinamque in lectum deponens, cum pulsu debilissimo, semper in dorso sine corporis motu, animo, ut videbatur, tranquillus per dies novem decubuit. Post usum remediorum omnium hic applicandorum protractum tandem mens redibat; judicium, memoria, sensus, et omnes functiones ad statum nor-

malem revertebantur. Per tres autem dies tantum hac recuperandae sanitatis spe gavisus; nam mox respiratione anxia stertorosa detentus, comatosus, caput continuo jactitans, sudore viscido frigido obductus, oculis rubris, pulsibus intermittentibus jacens, post aliquot horas apoplectice obibat.

In cadavere tunc mirabilia detegebantur: dura mater in latere sinistro cum cranio intime concreta, multo solito tenacior et crassior, utraque in facie colore normali destituta, in regione hemisphaerii hujus superiori saccum praegrandem ex laminis suis formatum, liquido circiter unciarum septem ichoroso, coloris nigrescentis, sanguinem corruptum aemulante plenum referens; in hemisphaerio cerebri dextro ejusdem loci, ac in latere sinistro, sub dura matre saccus ex membrana crassa compacta formatus, ovalis, pollices quinque longus, tres latus, unum crassitie superans, ab omnibus cerebri tegumentis independens, liber, undique clausus, mobilis, circumcirca fimbriatus, materiam pultiformem

griseam continens (qui adservatur). Cerebrum sub utroque sacco impressione pollicis unius juxta totam hemisphaerii longitudinem ita divisum apparuit, ut quodvis hemisphaerium iterum ex partibus duabus constare videretur; substantia ejus vario modo decolorata, corticalis fusca, medullaris flavicans, vasa ejusdem solito ampliora, sanguine atro turgida apparuere; ventriculi laterales unciam circiter unam aquae continuere; plexus choroidei ruberrimi, varicibus distincti caerulescentibus, vesiculis obsessi hydatidiformibus; cerebellum eodem modo decoloratum, ac cerebrum ipsum. Superficies cranii interna ad tempora, praecipue lateris sinistri, ac ad spinam cruciatam ossis occipitis valde aspera, discolor, hinc inde ita exfoliata, ut ossicula digitis potuissent separari.

Nro. LXXXV.

Dura meninx maniaci.

Ossicula in facie durae matris interna spinosa, portionem cerebri vicinam

molescentem pertingentia, in viro a longo jam tempore maniaco inventa.

Nro. CDXCVI.

Ossificatio processus falciformis.

Processus falciformis major in medio decursus, ac utroque latere ossicula aciculaeformia, separatim aggregata, cuspidibus liberis cerebro infixis refert instructa. Ex maniaco 49. annor. qui miles quondam ab equo delapsus, tunc apoplexia sanguinea obiit.

Nro. CCCLXXIX.

Ossiculum in falce majori.

Facies sinistra processus hujus durae matris prope extremitatem ejus anteriorem ossiculum praegrande, pollicem unum longum, dimidium latum, et quadrantem pollicis in medio crassum monstrat.

Nro. CCI.

Ossiculum in processu falciformi.

In medio faciei sinistrae falcis majoris ossiculum fabaeforme apparet. Ex

muliere, quae plane nulla cerebri affecti symptomata exhibens, phthisica obivit.

Nro. DV.

Ossiculum ad processum falciformem.

In medio faciei processus hujus sinistrae, ossiculum magnitudinem lentis excedens, aculeis instructum apparet. Ex muliere 30 annor. quae morbillos perpessa, phthisi ac hydrothorace superveniente suffocata est, quin unquam ullum cerebri affecti signum comparuerit *).

Nro. DXVI.

Ossificatio in processu falciformi.

Ossicula ad extremum falcis anterius

---

*) Mentione digna hic loci mihi videtur observatio; quod ossificationes in medio unius, alteriusve faciei processus falciformis effectum nullum producant morbosum; ubi e contra ex ossificatione durae matris ad originem illius processus symptomata exoriuntur pessima.

plura ex subjecto, quod sub Nro. sequenti DXVII obvenit *).

β. Arachnoideae a).

---

*) Ossificationem durae matris momenti maximi, mihi nunc praeparandam ac adservandam exhibuit puella 22 annor. per 5 annos, absque causa cognita, *amaurosi* oculorum affecta, tandemque tabe consumta, cujus cranium, suturis (uti in casu sub Nro. DLXIII in capite de ossibus allato) omnibus concretione ossium extinctis, in genere quidem solito quidquam tenuius, supra frontem vero, lobos cerebri anteriores tegens, valde incrassatum (uti in maniacis quoque nonnunquam vidi), in facie interna a concretione cum dura matre valde asperum; dura mater in parte anteriori ad utrumque latus processus falciformis una cum hoc pollices duos et dimidium in longum, unum in latum ossifficata; gyri cerebri in lobis anterioribus complanati; nervi optici (uti in casu mox dicto, et sub Nro. DLXIV. de nervis hoc in capite adhuc adferendo) tabidi, ex deficiente medulla complanati apparuere.

a) *Sömmerring* zu *Baillie* S. 267.
Haslam Beobachtungen über den Wahnsinn. Stendal 1800. S. 24 — 63 **).

**) In maniacis, et hydrope cerebri laborantibus adhuc fere semper arachnoideam incrassatam

γ. Piae matris.

Nro. DXVII.

Ossificatio piae matris.

Pia mater utriusque hemisphaerii cerebri ad anteriora ossiculis pluribus variae magnitudinis, lentis, imo et sextuplo majoribus, planis obsita. Ex pistore 27 annor. qui febre remittente rheumatica cum topica affectione intestinorum laborans, accedente serius temulentia capitis et delirio fere continuo, de repentino in regione hepatis dolore conquestus, intra paucas horas maxima sub anxietate exspiravit. Cadaver ejus tunc praeter ossificationes has, piam matrem a cerebro separatam; sanguinis turgores in cerebro maximos; serum in cameris; hepar ruptum, mensuris fere duabus sanguinis atri innatans, cujus inter involucrum externum

---

opacam, albidam, cum pia matre, tum facillime a cerebro separabili concretam, aut inter membranas has fluidum mucosum, imo gelatinosum reperi.

et substantiam incolumem libra quoque cruoris latuit, sciscitantibus praebuit. Genesis vomicae hepatis cruentae, atque repentini sanguinis extravasati ex anamnesticis non innotuit.

Nr. DXXVIII.

Ossificatio piae matris.

Pia mater viri circiter 40 annorum, voluntarie aquis submersi, ossiculis diversae magnitudinis planis instructa conspicitur.

Nro. DLIV.

Ossificatio piae matris.

Pia mater viri hydrope cerebri defuncti ad utrumque lobum cerebri anteriorem ossiculis magnitudine lentis asperis instructa.

Nro. DLV.

Pia mater ossificata.

Pars piae matris anterior viri hydrope cerebri mortui ossicula plura in plaga magnitudinis crucigeri medii aggregata

montrat. In hoc subjecto insuper calculi biliares numero 72 inveniebantur, quorum in capite de viscerum morbis sub Nro. DLVI. mentio fiet.

b. Morbi cerebri ipsius a).

Nro. CCCXXVI.

Cerebrum gangraenosum.

Substantia cerebri medullaris seniculi post inflammationem encephali flaccida marcida.

---

a) *Hebenstreit* de capitonibus etc. Lips. 1743. c. fig. 3.

Corwinus de hernia cerebri. Argent. 1749. c. fig.

Neue med. und chirur. Bemerk. v. A. G. *Richter*, heraus gegeben von A. G. *Richter*. Berlin 1813. cap. 5.

Camerarii D. de vomica cerebri. Tübing. 1711.

Nebel Progr. de abscessibus cerebri etc. Heidelberg 1790.

Stark Ann. med. II. p. 250.

Röderer Progr. de cerebri scirrho. Götting. 1762.

Reil Memorab. clinic. Fasc. III. p. 39.

Nro. CCXLVII.

Corpus striatum cum thalamo nervi optici consumtum.

In viro convulsionibus periodicis detrito, tandemque apoplectice mortuo, corpus striatum et thalamus nervi opt. lateris sinistri, substantia medullari penitus consumta, aqua limpida ita repleta fuerunt, ut, aquis evacuatis, cavitas ampla, collapsa relinqueretur.

Baumes über die Erblichk. der Skrofeln und Beyspiele von Skrofeln im Gehirne. *S. Hufelands* neuest. Ann. der franz. A. W. B. II. Nro. XI. S. 75.

Sand et *Stolz* D. de fungo cerebri. Regiomont 1700. in *Halleri* coll. disp. chir. T. I. Nro. IX.

Krell et *Kaufmann* D. de tumore capitis fungoso post cariem cranii exorto. Helmstadt. 1743. v. ebend. Nro. III.

Böhmer observ. anat. rar. Halae. 1766.

Adami D. de causis quibusdam specialibus apoplexiae etc. Halae 1764.

Hunczowskys Rudolphi Bemerk. u. s. w. Th. 2. S. 143.

Nro. LXXIV.

Scirrhus cerebri.

Mulier 43 annor. jam sex abhinc annis ad os temporis dextrum dirissimo dolore excruciata, ac tandem apoplectice mortua partem cerebri ad os mox dictum magnitudinis sesquipollicis scirrhosam meningi intime adcretam referebat, substantia reliqua circa scirrhum marcida.

Rudolphi resp. *Carger* de ventriculis cerebri Gryphiae 1796.

Quins Abhandl. über die Gehirnwassersucht Leipz. 1792.

Baader Geschichte der Wassersucht der Gehirnhöhlen u. s. w. Frankf. 1794.

Aszelius D. Hydrops ventriculorum cerebri historiis morbi et section. cadaver. illustratus. Upsal. 1804.

Formey Ueber die Wassers. der Gehirnhöhlen. Berl. 1810.

von *Ronge* D. de apoplexia lactea. L. B. 1771.

Nro. CCLXVII.

Scirrhositates cerebelli.

Glomera plura nuciformia substantiae steatomati similis in cerebello foeminae 48 annor. apoplexia defunctae reperiebantur.

Nro. CLXVII.

Steatoma in substantia cerebri.

Globulus magnitudine nucis juglandis, durus, steatomatosus in medio hemisphaerii dextri. E viro quadragenario, qui absque omni laesionis cerebri sympto mate, excepto irritabili ac subinde furioso animo, phthisi contabuit.

Nro. CDLXXVIII.

Cerebellum in steatoma degeneratum

Omnis cerebelli substantia in massam duram, hepati infarcto non absimilem permutata *).

---

*) Ob defectum historiae plura dicere nequeo.

Nro. CCLXV.

Hydatides cerebri substantiam occupantes.

In substantia cerebri foeminae tricenariae, doloribus capitis et lypothimiis frequentibus per sex jam annos vexatae, ac sub paroxysmo convulsionum defunctae hydatides numero 4 obvenere, quarum una magnitudinem nucis juglandis, caeterae illam avellanae attingunt.

c. *Partium ad cerebrum spectantium.*

Nro. CXXXVIII.

Scirrhus in plexu choroideo.

Glandulae plexus choroidei utriusque lateris, quas saepissime in maniacis hydatidosas reperi, hic in glomos amygdalaeformes duros mutatae apparent. Ex maniaca.

Nro. CXCVIII.

Hydrocephali causa rarissima.

In puero 11 annor. doloribus capitis per intervalla obnoxio, convulsionibus

tandem mortuo ventriculi laterales cerebri (ut in casibus hujusmodi fere omnibus) aquis repleti, plexus choroideus utriusque lateris tubere, magnitudinem nucis avellanae excedente, scirrhoso scrophulae meseraicae simillimo instructus, reperiebantur.

Nro. CCCLXV.

Hydatides e ventriculis cerebri.

Sunt potius glandulae plexus choroidei lateralis, quae in vesiculas hydatidiformes degenerarunt, ventriculis aqua repletis. Ex maniaco.

Nro. DXLII.

Calculus ex plexu choroideo maniacae a).

Calculus hic magnitudinem noduli aciculae superans in scirrhositate plexus choroidei dextri, ventriculis cerebri aqua plenis, repertus.

---

a) *Walter* anatom. Musaeum. B. I. S. 155. Nro. 309.

Nro. CXXXI.

Glandula pituitaria ad medietatem consumta a).

Praeter glandulam hanc pro parte consumtam, infundibulum naturali duplo amplius patet, cerebro ac cerebello caeteroquin sanissimis. Ex milite quinquagenario.

d. Morbi medullae spinalis *) b).

---

a) J. *Wenzel* Beobachtungen über den Hirnanhang fallsüchtiger Personen u. s. w heraus gegeben von *C. Wenzel* etc. Mainz 1810. gr. 8 mit 9. Kupf.

*) Huc etiam *spina bifida*, qua morbus medullae spinalis referri posset: sed quum ille morbus tantum infantibus, et quammaxime neonatis sit proprius; de illo in capite morborum foetus etiam sermo erit.

b) J. P. *Frank*. de vertebralis columnae in morbis dignitate. Paviae 1791. s. Samml. f. pr. Aerzte B. XV. S. 284.

Gall Anat. und Pyhsiol. des Nervensystems. Paris 1810.

e. *Nervorum* a).

Nro. DLXIV.

Tabes nervorum opticorum amauroticae b).

Nervi optici colore flavicantes, una cum decussatione, medulla fere consum-

---

Osservaz. sull inflammazione dello spinale medollo e delle sue membrane, communicate par lettera da *Gius. Bergamischi* al *Brera*. Pavia 1810. 4.

a) *Mohrenheim* Beobacht. versch. chir. Vorfälle. B. II. S. 54.

Wagner in *Loders* Journal. III. B. S. 142.

Just. Cotunni de ischiade nervosa. Vien. 1770.

Fr. Sigism. Alexander D. de tumoribus nervorum. Leiden 1810. 8.

Bichat Allg. Anatomie, übersetzt von *Pfaff*. Th. I. Abth. I. S. 289.

Loder Progr. Observatio tumoris scirrhosi in basi cranii reperti. Jenae 1779 mit Kupfern.

b) *Sömmerring* in den hess. Beytr. II. IV. in *Blumenbachs* med. Biblioth. II. 2.

ta, volumine ita imminuti, ut quartam partem voluminis soliti aequent: hac autem cum differentia; quod ad originem excrescentiis induratis notati, plus consumti appareant, quam ad anteriora prope bulbum, ubi, uti retina, normalitatem fere attingebant; bulbo ipso, exceptis corpore vitreo et lente crystallina dissolutis fere, normali Ex eadem foemina amaurotica, de qua jam in capite ossium sub Nro DLXIII locutus sum.

Michaelis über die Durchkreuzung der Sehnerven. Halle 1790.

Monro praelection. medicae etc. Lond. 1776.

Haller Elem. phys. T. IV. p. 297.

6. Morbi viscerum (proprie sic dictorum).

a. Organorum respirationis a).

α. Glandulae thyreoideae b).

Nro. CCLI.

Struma tyrolensis.

Glandula thyreoidea viri sexagenarii, asthmatici, tabe consumti in tumorem praegrandem, steatomati quam maxime similem degenerata.

---

a) *Van der Bosch* Commentatio exhibens anatomiam systematis respirationi inservientis pathologicam. Harlem 1801.

b) *Ad. Maas* D. de glandula thyreoidea tam sana quam morbosa, eademque imprimis strumosa. Wirceb. 1810 8.

Haen Heilmethode. B. III. Th. VII. Cap. III. §. 4. S 300.

Weiz vollst. Auszüge aus den besten chir. Disput. B. II. S. 210. Anmerk.

Nro. CLXI

Tumor enormis glandulae thyreoideae.

Glandula thyreoidea imprimis ad latus utrumque laryngis et tracheae in tumorem enormem steatomatosum degenerata, tracheam comprimendo foeminae styriacae parturienti mortem suffocativam induxit.

Nro. XCV.

Struma carotides tracheamque comprimens.

Eadem glandula viri, qui dyspnoea periit, ita tumefacta, ut cavum pectoris quoque petens infra sternum et claviculam, spatio angustato asperam arteriam, ac carotides valde compresserit, arcu aortae hinc inde dilatato, ac ossificato.

Nro. DVII.

Ossificatio glandulae thyreoideae.

Parenchyma glandulae hujus ossificationem, nucem juglandis magnitudine superantem, excavatam ostendit. Ex seni-

cula 103 annor. cujus arteriae plures insimul fuerunt ossefactae.

Nro. XXXIX.

Glandula thyreoidea ossefacta.

Glandula haec integra in glomum magnitudinis pomi majoris osseum transmutata.

β. Laryngis et tracheae a).

Nro. CCXIX.

Tumor laryngeus.

Tumor shirrhosus magnitudinis pomi minoris laminae cartilaginis thyreoideae dextrae firmissime inhaeret.

---

a) *Cummen* Misc. N. C. Dec. I. Ann. III. obs. 112.
Hopfengärtner in *Hufelands* Journal. d. pr. Hk. B. VI. S. 558.

Lieutaud Hist. de l'acad. des Sc. de Paris 1754.

Delormes s. neues Journal der aus. med. chir. Literat. von *Harles*. B. IX. St. II. 1810. pag. 172.

Nro. CDLXXXIII.

Phthisis layrngea.

Ulcera supra ventriculum Galeni ad radicem epiglottidis plura apparent.

Nro. CCXXIX.

Epiglottis consumta.

Particula tantum exigua epiglottidis ulceribus cincta superest. Ex muliere, quae jam ante aliquot annos ulceribus fauces depascentibus vocem amisit, et coeteroquin sana, momentanea suffocatione ex frustulo intestini vitulini rimam glottidis obturante, periit.

Nro. CXCI.

Fistula laryngem penetrans.

Larynx ancillae 28 annor. syphiliticae, tandemque phthisi tracheali mortuae ulcus, tegumenta communia et cartilaginem thyreoideam in parte anteriori

---

Albers s. Rapport adressé à son Exc. le Ministre de l'inter. sur les ouvrag. envoy. au concurs sur le Croup etc. Paris. 1812.

Desgenettes Journ. de Medic. 1790. Juin.

perforans, cavumque laryngis ad rimam glottidis destruens demonstrat.

Nro. CCCXXXVIII

Ulcus ad ventriculum Galeni.

Pars anterior laryngis ad ventriculum Galeni ulcere devastata.

Nro. CCCLXXII.

Ulcus laryngis.

Pars laryngis posterior ad cartilagines arytaenoideas ulcere perforata, et destructa.

Nro. XV.

Phthisis laryngea.

Pars cartilaginis cricoideae posterior penitus, cartilagines arytaenoideae et thyreoidea, ei confines pro parte ulcere devastatae.

Nro. CCLXXXII.

Cartilago cricoidea suppuratione consumta.

Pars cartilaginis hujus posterior ulcere penitus consumta, et frustulum ejus

in latere dextro protuberans ossificatum conspicitur. A viro cynanche affecto.

Nro. DXXVI.

Caries cartilaginis cricoideae. ossefactae.

Larynx viri tricenarii, qui phthisi tracheali laborans pulmonali consumtus est, cartilaginem cricoideam refert ossificatam, faciem ejus anteriorem ulcere, quod tumorem in cavum laryngis protuberantem produxit, erosam, sic et articulationem ejus cum cartilagine arytaenoidea dextra destructam, cartilagine thyreoidea pluribus in locis ossefacta.

Nro. CDLXXIV.

Phthisis trachealis.

Trachea scrophulis cincta faciem internam in medio decursus antrorsum ulceribus tribus sat magnis erosam monstrat.

Nro. CCCLXXX.

Phthisis trachealis.

Superficies asperae arteriae interna, ab epiglottide ad ejus diramificationem

usque, ulceribus variae magnitudinis pluribus, quorum superiora magnitudinem crucigeri attingunt, erosa.

Nro. CCLVIII.

Aphthae tracheales.

Superficies tracheae interna, ab epiglottide ad diramificationem usque, ulcusculis innumeris magnitudine lentis, imo et majoribus obsita patet. Ex foemina 29 annor. scrophulosa, raucedine vocis chronica affecta, quae tandem sub perpetuo exspuendi nisu contabuit.

Nro. CDXXXV.

Larynx et trachea pseudomembranis angustata.

Superficies interna laryngis et tracheae, ab epiglottide usque ad diramificationem tracheae, tota verruculis, ulceribus interpositis, obsita.

Nro. CDLXXXII.

Excrescentiae laryngis.

Excrescentiae plures condylomatosae, moriformes ad ventriculum Galeni conspiciuntur.

Nro, CCLXXVII.

Angina membranacea.

Larynx puellae decennis, altera jam die hujus morbi suffocatae, discissus, undique pseudomembranis, quae partim ejus parietibus firmiter adhaerent, partim libere in cavo fluctuant, investitus.

Nro. CD.

Angina membranacea.

Facies interna totius tractus asperae arteriae, a rima glottidis ad ramos bronchiorum minores usque, pseudomembrana crassa, ubique a parietibus illius separata, ita obducta apparet, ac si trachea recens in priori contenta decurreret; glandulis juguli insuper scrophulosis.

γ. Bronchiorum et pulmonum a).

Nro. LXXXI.

Sputa polyposa.

Lymphae coagulatae, tussi ejectae

---

a) *Haller* de morbis pulmon. observationes. Götting. 1749.

frutices, bronchiorum diramificationes ad ramos usque subtilissimos elegantissime repraesentantes, compacti, polypiformes numero 6 in spiritu vini adservati. Ex puella 21 annor. habitus corporis robusti, irregulariter menstruante, quae tum, absque causa cognita, angina pectoris per quinque fere menses durante, ac febri insimul non quotidie, sed identidem illam concomitante, corripitur. Mense primo peripneumonia chronica cum suis satellitibus sputisque mucosis, sanguine in-

---

Will. Davidson App. ad. Observ. anat. physiol. and patholog. on the pulmonary system. etc. Lond. 1795.

Metzke D. de morbis pulmon. ex mixtura formaque laesa explicandis. Hal. 1800.

Wrisberg Comment. med. physiol. anat. et obstetr. argumenti. Götting, 1800. Vol. I. Nro. VII.

Portal Beobacht. über die Rhachitis. S. 100.

Caldani Memor. di Matemat. di Fisica della Soc. Ital. delle Scienze. T. XII. P. II. Modena 1806.

terdum mixtis vexat; serius tamen morbi decursus a consueta calle multum aberrat. Insinuat se anxietas, oppressio, dyspnoea vox rauca, tussis inanis, febris cum doloribus vagis, quos tandem prodromos sequitur polyposorum concrementorum maximo sub nisu, et suffocationis interdum periculo exspuitio, per tres quatuorve dies continuans. Componuntur sensim sensimque respirii difficultates, atque simplicis muci rejectione violenta terminatur hujus tussis accessus, qui tamen post quinque aut sex plerumque dies iterum redit, iisdem phoenomenis stipatus, atque nonnisi frustulorum polyposorum ejectione componendus. Difficilis sputorum polyposorum, saepe copiosissimorum ejectio Dto. Polygalae, atque pulveribus gummosis cum sulfure aurato antimonii facilitabatur. Paroxysmorum tamen atque repetitae mirabilium sputorum invasiones perfecte his remediis mitigari non poterant. Maximae vero serius doses Digitalis purpureae cum calomele morbi atrociam ita infringebant, ut, nulla amplius lymphae polyposae se-

cretione obtinente, aegra perfecte convalesceret *).

Nro. LXXXII.

Sputa polyposa.

Ex eadem puella, magno cum labore exsiccata, frutices pulcherrime repraesentantia, inter laminas vitreas numero 5 adservantur.

Nro. CDXXXVIII.

Ossificatio bronchiorum **).

Nro. LXXVII.

Pseudomembrana pulmonis.

Pulmonis pseudomembrana crassa obducti pars adservatur, ex juvene 14 annor. qui peripneumonia periit.

Nro. CLXII.

Pulmo compressus, pseudomembrana obductus.

Pulmo dexter ab aquis, in cavo hu-

*) Therapia ad scopum libelli quidem non spectat: sed ob singularitatem casus me excusari spero.

**) Ossificationes bronchiorum saepissime in phthisicis mihi occurrunt.

jus lateris pleurae valde incrassatae contentis, in minimum compressus, pseudomembranis obvolutus. Ex maniaca 18 annor. hydrothorace mortua.

Nro. CCLXVIII.

Pulmo infarctus.

In viro nobili 23 annor., qui a longo jam tempore de anxietate pectoris conquestus, sanguinis uncias circiter duas exspuit, tandemque asthmaticus suffocatione obiit, pulmo dexter ubique locorum thoraci firmissime adcretus, hepatis substantia durior, fere scirrhosus, ponderis 5 liberarum detegebatur; pulmone insimul sinistro etiam hinc inde adcreto, tuberculis obsito; pericardio aquis repleto.

Nro. CDXI.

Ulcus pulmonis sinistri.

In lobo pulmonis hujus superiori vomica permagna rupta patet.

Nro. CCCXXI.

Steatoma pulmonum.

In viro tricenario jam in capite musculorum sub Nro. CCCXX allato, stea-

tomate brachii scilicet praedito, pulmones tuberculis, eadem materia, ac steatoma brachii scatentibus, repleti patuerunt, quorum pars adservatur.

Nro. CDLXXIII.

Pulmonum substantia caseosa.

In pulmonibus Dris. Med. tricenarii, phthisi consumti praeter tubercula, ulceraque plura, particulae insimul plures, variae magnitudinis substantia caseo similes reperiebantur.

Nro. CCLII.

Ossicula pulmonis.

Pulmo dexter juvenis 22 annorum phthisi consumti tuberculis refertus, duo horum in substantiam osseam degenerata in superficie monstrat.

Nro. DIV.

Concrementa calcarea ex pulmone.

Concrementa haec calculos variae magnitudinis, nucis avellanae, et minores albissimos, leves, ex granulis friabilibus plurimis compositos repraesentantia, sub-

stantiam pulmonis sinistri valde inflammati, et bronchia ejusdem lateris dispersim occuparunt. Ex puella 16 annor. typho pudrido cum pulmonum et hepatis affectione complicato defuncta.

Nro. DXLIII.

Concrementa calcarea ex pulmone.

Haec ejusdem generis, ut priora, et solumodo illis compactiora substantiam pulmonis dextri, ac bronchia maniacae cum calculo in plexu choroideo, sub Nro. DXLII jam allato, dispersim occuparunt.

Nro. CCCXCIV.

Lapillus in pulmonis substantia.

Lobus superior pulmonis pseudomembrana crassa obducti lapillos pisiformes duos in substantia discissa monstrat.

Nro. CDX.

Hydatis e pulmone sinistro.

Haec magnitudinis pomi minoris ex membrana crassa, alba, omni vase destituta formata, basi minima substantiae pulmonis inhaesit.

δ. P l e u r a e a).

Nro. CCCXII.

P l e u r i t i s.

Pleura per inflammationem valde incrassata.

Nro. CDLXXII.

Pleura steatomatosa.

Pars pleurae pollices 9 longa, et 5 lata in massam pro parte scirrhosam, pro parte steatomatosam ita degenerata apparet, ut crassitiem pollicis unius, ac dimidii vix non superet.

Nro. CLXXXVII.

Pleura ossificata b).

Pars pleurae lateris sinistri, longitudinis pollicum quinque, latitudinis trium,

---

a) *Fleming* adhaesions or accretion of the lungs to the plevra, and their affects of respiration. Lond. 1762. 8.

Baillie neue Bemerkungen u. s. w. S. 341.

Stoll Heilungsmethode. B. II. Th. II. S. 195.

b) *Ploucquet* Lit. med. digest. s. pleurae ossificatio. *Haller* Elem. Physiol. T. III. p. 119.

incrassata, ac perfecte ossificata, costae insimul adcreta *).

b. Morbi organorum masticationis, digestionis, et assimilationis.

α. Glandularum salivalium a).

Nro. CI.

Tumor colli.

Tumor horrendus glandulas salivales, parotidem, utpote submaxillares, ac sublinquales lateris sinistri occupans, naturae scrophulosae, laryngem ad angulum maxillae inferioris dextrum compellens, juvenem 18 annor. a quinto jam vitae anno hoc malo vexatum, tandem mole sua impediendo respirationem, ac deglu-

*) Defectus historiarum ad enumeratos hos casus, uti in pluribus aliis, valde dolendus.

a) *Murat* la glande parotide considerée sous ses rapport anatomiques, physiologiques et pathologiques. Paris 1802.

Tartra Journ. de Med. et Chir. p. *Corvisart* T. XI Janv. 1806.

Siebold histor. system. salival.

titionem, vasis sanguiferis intactis, partim jugulavit, partim, omnibus caeteris simul glandulis scrophulosis, atrophia pedisequa consumsit.

Nro. DXII.

Parotis in tumorem cysticum degenerata.

Tumor magnitudinis pugni virilis, qui in latere dextro inter tegumenta buccae communia et masseterem situs, a lobulo auris usque ad angulum oris dextrum, et ab osse zygomatico ad angulum maxillae inferioris usque se extendit, membrana crassa involutus, pro parte et quidem ad anteriora fluido quodam fusco, ichoroso unciarum trium plenus, pro parte vero maxima substantiam glandulae morbose mutatam exhibens, parotidem refert cum ejus involucro tali modo degeneratam. Haec felici cum eventu cultro exstirpata fuit e viro 27 annor. constitutionis corporis robustae, qui jam ab aetate tenera achoribus, et intumescentia parotidis, doloribusque dentium alternatim usque ad annum aetatis deci-

mum quartum vexatus, ab illo ad decimum nonum sanus vixit. Hoc autem tempore saepius febri intermittente laborare incepit, ac tumor magis magisque increvit, donec magnitudinem hanc, praecipue abusu diversorum remediorum aquisiverit.

Nro. LXXXIII.

Calculus salivalis a).

Calculus coloris albi, longitudinis pollicis fere unius, crassitiei calami scriptorii, superficiei asperae, ponderis drachmae fere dimidiae ex parotide exulcerata sinistra viri quadragenarii, qui juvenili jam aetate corpora ponderosissima dentibus allevare, imo portare solitus, parotidem hujus lateris vigesimo jam aetatis anno intumescere animadvertit, ac serius inflammationem frequentiorem, exulcerationemque perpessus, ablato hoc calculo, sanatus est ex integro.

---

a) *Müller* Nachricht von Erzeugung der Speichelsteine. Allg. med. Annal. 1811. p. 841.

Nro. CCXCVII.

Calculus salivalis ingens.

Hic colore albus, superficiei glabrae, pollicem unum et dimidium fere longus, ac dimidium in diametro crassus, turundaeformis, drachmas duas, ac grana sexdecim pondere aequans, ex Polonia a Professore Krauseneker, absque historia morbi missus fuit.

β. Pharyngis et oesophagi a).

Nro. CDLXXV.

Polypus faucium b).

Membranaceus, pollicem longus, dimidium latus.

---

a) *Fr. Hoffmann* D. de morbis oesophagi. Halae 1722.

Bleuland de difficili aut impedita alimentorum depulsione. Lugd. B. 1780. und Observ. anat. med. de sana et morbosa oesophagi stuctura. L. B. 1785.

Hünersdorf D. de quibusdam morbis oesophagi chronicis. Marb. 1806.

Larrey Mem. de chir. milit. Paris 1812.

b) *Heinecken* in *Hufelands* und *Himlys* Journ. der pr. Heilk. 1811. Aprill. S. 96.

Alex Monro sämmtl. Werke. u. s. w.

Nro. CDXXV.

Laceratio oesophagi a).

Oesophagi supra cardiam paries posterior ex causa ignota dilacerata.

γ. Ventriculi b).

Nro. CCCLXXI.

Ventriculi stricturae.

Ventriculus stricturis pluribus cavitatem vix relinquentibus, inter se hinc

---

a) *Boerhavii* hist. morbi artrocis *Wassenarii* Lugd. Bat. 1724.

b) *Haller* Progr. morbi aliqui ventriculi in corporibus observati, Götting 1749. — Elem. Physiol. Tom. IV.

Kade D. de morbis ventriculi etc. Halae 1798. c. tab ae. übers. in *Reils* Archiv. f. d. Phys. B. IV. St. III. S. 365.

Kessler D. sist. brevem vitiosae ventriculi structurae descript. Götting. 1807.

Pohl Progr. de callositate ventriculi ex potus spirituosi abusu. Lips. 1771.

inde connatis, adeo deformatus apparet, ut vix amplius cognosci possit a).

Nro. CDLXXXV.

Ventriculus peculiariter deformis, cum pyloro extenso.

Ventriculus oblongatus ita incurvus apparet, ut pylorus, valde extensus cardiam fere attingat. Ex muliere sexagenaria, hydrope universali ex obstructionibus viscerum abdominis laborante, in cujus cadavere, praeter ventriculum hunc, hepar praegrande scirrhosum, cum liene friabili macro concretum, et glandulae meseraicae scirrhosae reperiebantur.

Nro. LXXIII.

Stomachus ingens expansus b).

Vir 48 annor. publica in platea haematemesi extinctus, ventriculum hunc

---

a) *Van Swieten* s. *Nikolai* Fortsetzung. d. Pathol. B. III. S. 354.

Ploucquet Lit. med. digest. s. ventric. contractus a. duplex.

b) *Molinelli* Comm. Bonon. T. II.

enormem, cujus arcus major longitudine ulnam superat, partim cibis, partim sanguine grumoso repletum monstrabat.

Nro. CDXCIX.

Ventriculus et duodenum enormiter expansa.

Filia illinitoris 22 annor. habitus cachectici, quae a quinto jam aetatis anno vermibus, a decimo quarto ad decimum nonum usque annum saepius hydrope vexata, serius trituratione calcium metallicorum colicam saturninam contraxit. Febri cum nausea et vomituritione correpta, emetico tum incaute adhibito, materiam aeruginosam foeculentam, alvo pertinaciter obstipata, repetitis vicibus evomuit. Vomitus potione Riveri quidem sopitus, post septem autem dies iterum recruduit, aegramque usque ad mortem, remediis incassum adhibitis excruciavit. In cadavere tunc prelum abdominale, peritonaeum, omentum, et omnia organa,

---

Hasenoehrl histor. morbi epidem. S. 60.

in cavo abdominis contenta, inter se ita concreta reperi, ut hepate, liene et ovariis degeneratis, vix a se invicem separandis, intestina in glomum enormem concreta apparuerint, cujus in medio vomica, saniem librarum circiter duarum flavescentem continens, intestinis tenuibus (quorum tunicae internae ab externa per totum eorum tractum separatae, et coarctatae fuere) se communicavit. Duodenum autem et ventriculus hac sanie atque foecibus repleta ita extensa fuere, ut duodenum potius ventriculum quasi alterum repraesentet, ac ventriculus cum pyloro valde extenso volumen enorme monstret.

Nro CLXXIX.

Laceratio ventriculi.

Ad arcum minorem prope pylorum foramen patet lacerum. Ex viro 65 annor. qui aliquot dies ante mortem cachecticus in nosocomium delatus, de dolore maximo epigastrium occupante, causae inscius, conquerebatur, et in cujus abdomine praeter hoc foramen ventriculi

coeteroquin normalis, nihil morbosi reperiebatur, quam aquae flavescentis insignis quantitas.

Nro. CCXII.

Ventriculi a glandulis tumefactis laceratio.

Stomachus juvenis 21 annor. qui scrophulis laborans sub continuo ventris dolore, ac vomitu contabuit, a glandulis ad arcum minorem, et circa pylorum valde tumefactis adeo compressus, ut transitu cibis denegato, disruptio ad arcum jam dictum in pariete anteriori subsequeretur.

Nro. CDIV.

Ventriculus gangraenosus a).

Facies ventriculi marcidi interna rugas monstrat lividas.

---

a) *Hahnemann* über die Arsenik-Vergiftung. Leipzig 1786.

Mosely on tropical Diseases, Lond. 1788.

Nro. CCCXCV.

Ventriculus in epigastrico patens.

Specimen hoc omnino rarissimum in regione hypochondrii sinistri ad cartilagines costarum spuriarum, pollices duos supra umbilicum foramen diametri pollicum fere duorum, in cavum ventriculi ducens, margine cicatricato, epidermide autem orbato cinctum refert. Paries ventriculi anterior in medio ad marginem hujus foraminis peritonaeo firmiter adhaerens; posterior libera, fere semper per foramen prolapsa permagnas creavit molestias, ventriculo caeteroquin sano, sic et caeteris visceribus abdominis normalibus.

Ex muliere 58 annor. quae septem partus gravissimos, ultra dies semper duos durantes, perpessa, maritum fabrum ferrarium in laboribus adjuvans, saepius borborrygmis, doloribus colicis, ac vomitu, serius dolore in regione ventriculi urente, ac pungente, praecipue flectendo corpus, maximo vexabatur, mitescentibus his tempore graviditatis.

Tumor hac in regione serius exortus, volumine indies adaucto, pressione tandem incauta ruptus, ex quo libra circiter seri flavi effluxit. Foramen, quod tunc magnitudinis pisi, tandem indies usque ad dictam increvit magnitudinem, aegrae per quinque fere annos mox oris, mox ani vices egit *).

Nro. CCCLIX.

Ulcus ventriculi a).

In pariete anteriori prope arcum minorem foramen exulceratum diametri pol-

---

*) Historiam hujus casus, ac plura experimenta cum hac muliere maxima cum sedulitate facta annotavit Dr. *Helm* in libello suo: Zwey Krankengeschichten von Jacob Helm. Wien 1803.

a) *Rohlwes* Magazin für die Thierarzneyk. B. II. S. 48.

Ploucquet ventriculi perforatio.

Gerard des perforations spontanées de l'Estomac. Paris Ann. XII.

Jaeger Beobacht. über die Erweichung des Magengrundes, in *Hufelands* und *Himlys* Journ. d. pr. Heilk. 1811. May. S. 3.

licis dimidii, in cavum ventriculi ducens conspicitur.

Nro. CCCXXXII.

Fistula stomachica.

Ventriculus foeminae, quae sub continuo vomendi nisu contabuit, ad arcum superiorem prope pylorum foramen magnitudinis faseoli, parietem anteriorem penetrans, margine calloso cinctum praebet.

Nro. CCCLIII.

Ventriculus exulceratus scirrhosus a).

Ventriculus ad pylorum scirrhosus faciem internam ulceribus obsitam refert. Ex foemina quinquagenaria, quae ex abusu vini cremati vomitu periodico, ac dyspepsia vexata, tabe periit.

Nro. XCI.

Stomachus scirrhosus fistulosus.

Ventriculus virginis 38 annor. quae cardialgia chronica laborans, ex tabe tan-

a) *Chardel* Monographie des generations scirrheuses de l'estomac. Paris 1808.

dem universali periit, pylorum scirrhosum, ac ita angustatum refert, ut calamum scriptorium vix transmittat, et prope pylorum in pariete anteriori ad arcum superiorem foramen orbiculare, magnitudinem pisi superans, in cavum stomachi penetrans.

Nro. CCCLI.

Scirrhus in arcu minori ventriculi.

Tunicae ventriculi ad arcum minorem a cardia usque ad pylorum, una cum illius glandulis hepati, vesicae felleae, ac pancreati adcretis, ita incrassatae, ac induratae, ut unam fere massam enormem referant.

Nro. CCCLXXIII.

Scirrhus pylori.

Ventriculus pylorum scirrhosum, ac insimul rupturam in fundo insecutam ostendit; liene perexiguo.

Nro. CXL.

Ventriculus ingens cum scirrho pylori.

In famulo instituti clinici, qui sellae incisoriae insidens secamenta formando

lignea, scalpro bimanubriato ictum scrubiculo cordis inflixit, et exinde gastrodynia chronica ac vomitu dolorifico creberrimo per annum fere dimidium divexatus marasmo periit, pylorus enormiter incrassatus, scirrhosus, et ventriculus ipse ita dilatatus deprehendebatur, ut fundus ejus valde extenuatus, pellucidus appareat *).

Nro DXXV.

Tunicae ventriculi scirrhosae crassissimae a).

Tunicae stomachi, praecipue duae internae, in omni ejus ambitu scirrhosae, ac ita incrassatae patent, ut earum diameter crassitie pollicem unum fere ubique superet, et nonnisi ad fundum quidquam tenuiores. Ex fabro ferarrio,

---

*) Observatio, fundum ventriculi eo magis dilatari, et extenuari, imo ad dilacerationem usque: quo magis pylorus scirrho increscente coarctatur, et his binis casibus confirmatur.

a) *Silbern* in *Todes* medic. Biblioth. B, III. S. 194.

helluone guloso, cui crapulae adeo habituales fuere, ut saepius per quatuordecim dies ebrius plurium milliarium itinera pedibus perfecerit; donec extinctus tandem in Danubio inveniretur.

Nro. DXXX.

Carcinoma ventriculi cum tunicis incrassatis.

Ventriculus viri quadragenarii, qui longo a tempore jam obstructionibus viscerum abdominis, saepius doloribus colicis, serius ascite laboravit, tandemque tabe obiit, glomum scirrhosum durum, parietibus, excepto fundo, pollicem crassis instructum, internam faciem ulceribus carcinomatosis erosam referens, cum omento majori scirrhoso quoque ad pollicem incrassato, cum minori aeque scirrhoso et exulcerato, atque vesica fellea vacua intime concretus apparuit. Hepar fuit parvum triangulare; lien perexiguus magnitudinem ovi anserini vix attingens; intestina omnia colore livido, nigro tincta, marcida; mesenterium scir-

rhosum; processus vermicularis crassus, fere cartilagineus; intestinum rectum prostatae et vesiculis seminalibus scirrhosis adcretum. Caeteroquin viscera omnia plus, minusve inter sese concreta, fluido rubro-fusco ad libras 20 aestimato quasi innatantia, peritonaeo simul valde incrassato inclusa fuere.

Nro. DXXIII.

Carcinoma ventriculi.

Ventriculus volumine parvus faciem internam pro maxima parte juxta longitudinem arcus minoris tuberculis coloris variegati, scirrhosis, ulceribus foedissimis interpositis obsitam, ac pylorum scirrhosum cum vesica fellis vacua concretum demonstrat. Ex muliere 53 annor. quae vitam ducens sedentariam, saepius febri intermittente hungarica, ac oedemate pedum vexata, tandem ascite tabida obiit, et quae praeter polydypsiam, et dolorem sub respiratione profunda ad costas spurias lateris sinistri nullum fere symptoma ventriculi affecti praebuit. Cae-

terum hepar fuit praegrande, durum, tuberculis infarctum, cum pyloro et liene concretum; intestinis collapsis coarctatis.

Nro. CV.

Hydatides vomitu rejectae a).

Hae numero 6 variae magnitudinis, nucis avellanae, et majores, illis simillimae, quae in hepate jam repperi. Ex matre multarum prolium, 52 annor quae diversos perpessa morbos, in bello contra Turcas in confiniis Hungariae febri intermittente quartana bienni correpta fuerat. Hac febre, mutatione coeli ac medicamentis liberata, nunquam abhinc perfecta sanitate fruita, sed doloribus non nunquam circa regionem hepatis dirioribus, ac vomendi conatu, absque vomitu

a) *Cleyer* in Misc. N. C. Dec. II. An. I. obs. 18.
Becker in *Hufelands* und *Himlys* Jour. B. 31. St. 7. 1810. p. 115.
Larrey Mem. de chir. milit. Paris 1812

ipso vexabatur. In nosocomio tunc obstructione hepatis cum febri hectica laborans, saepius sub doloribus summis hydatides permultas mox evomuit, mox diarrhaea effrena torminibus sociata evacuavit; donec hisce symptomatibus excruciata, et gangraena suborta, terribili sub foetore vitam exspiraverit. In cadavere dissecto totum parenchyma lobi hepatis dextri apostemate exesum, quod cum duodeno foramine exulcerato communicavit, et pure solum scatuit foetidissimo, absque hydatidibus. Sed in duodeno, ventriculoque membranulae plures vesicularum ruptarum deprehendebantur.

Nro. CDXXXII.

Lapis sic dictus bezoardicus.

Aegagropyla magnitudine, forma, ac pondere pilam, ex materia corio fusco simili formatam perfecte aequans, pilos inenodabiles, foenum amoenissime redolentes continet.

δ. Morbi intestinorum.

Nro. CXIII.

Intestini tenuis strictura a).

Ex puero 10 annor. scrophulis enecato, cujus tractus intestinorum tenuium stricturas tales minimum decem ostendit, quae a glandulis inter tunicas intestinorum haerentibus tumidis pendere videbantur.

Nro. CCCXCVI.

Timpanites intestinalis b).

Colon transversum aëre enormiter dilatatum e puella febri nervosa mortua.

Nro. III.

Intestinum tenue cum protuberantiis granulosis miliaria imitantibus.

In puero 14 annor. qui angina cum febri valida correptus, a purgante in-

---

a) Stricturas intestinorum insignes depinxit *Ruisch* Observ. 91. Figur. 73. und *Rahn* a. a. O. Tab. IV.

Ebell Ueber die Bleyglasur des irdenen Küchengeschieres u. s. w. Hannov. 1794. mit Kupf.

b) *Ruysch* thesaurus anat. VII. Tab. 4.

caute adhibito, dolores dirissimos acquisivit, ac moribundus in nosocomium translatus est, viscera abdominis omnia, praecipue vero intestina tenuia, omentum ac hepar inflammata, granulisque miliformibus subrubris obsita deprehendebantur, quorum pars adservatur.

Nro. IV.

Intestinum tenue vesiculis conspersum.

Vesiculae hae variolas suppurantes specie imitantes, intestino coloris lividi insidentes, materia pingui albida repletae inveniebantur in muliere sterili 56 annor. de qua sub Nro. XVII. in capite sexualium muliebr. et Nro XVIII. de omento, sermo erit.

Nro. CDXLVIII.

Intestinum colon crassefactum a).

Tunicae intestini coli per inflammationem incrassatae.

---

a) *Ferro* med. Ephemeriden. übers. v. *Rosenbladt* S. 115.

Nro. CCCLXXVII.

Dysenteria.

Intestinum rectum ab inflammatione incrassatum.

Nro. CCCLXXXIX.

Pseudomembrana tunicae villosae intestinorum a).

Intestina crassa floccis obsita membranosis.

Nro. CXIV.

Intestinorum gyri connati.

Intestinorum gyri non per totum eorum tractum, ut in enteritide frequenter, sed in singulis tantum punctis firmissime cohaerent, ubi nempe glandulae

---

Heim in *Horns* Archiv. für die med. Erfahr. 1812. Jan. und Febr. S. 26.

a) *Percivall* Mem. of the med. Soc. of. Lond. Vol. II. Nro. V.

Mursinna Beobacht. über die Ruhr und Faulfieber. Berlin 1780. S. 20.

Kausch Memorabilien. B. I. 1813. p. 42.

intestinales hoc in capite sub Nro. CXIII. descriptae intumuere.

Nro. CDLXVIII.

Intestina in glomum concreta.

Intestina tenuia involucri ope externi, ex peritonaeo formati, inter se ita concreta, ut glomum referant permagnum, ex quo tractus intestinorum ex caeteris membranis, ab illa separatis formatus, et coarctatus, qua ligamentum extrahi potest. Idem fere casus, uti ille in priori capite sub Nro. CDXCIX. allatus.

Nro. LI.

Intestina in glomum concreta.

In foemina 31 annor. quae ex refrigerio enteritide gravissima est correpta, ac abusu purgantium doloribus dirissimis excruciata, omnibus remediis incassum adhibitis, tandem morte placida obiit, praeter insignem quantitatem lymphae coagulatae, fluido puriformi innatantis,

intestina omnia in glomum enormem conglutinata reperiebantur.

Nro. CCCXXVII.

Ilei causa rarissima.

In foemina, quae sub continuo vomitu foeculento obiit, inventa est cystis fellea concrementis terreis turgens cum colo ascendente inflammationis ope firmissime concreta, quae tempore vitae transitum contentorum per hoc intestinum impedivit, atque symptomata ilei ad mortem usque perdurantia produxit.

Nro. CCXVII.

Ulcus ileum interne arrodens.

Facies interna intestini ilei plagam pollicis in diametro, ulcere erosam, ex causa ignota exortam refert. Ex foemina, quae doloribus colicis diu vexata, sub diarrhaea chronica contabuit.

Nro. CCXVI.

Ulcus intestinum ileum perforans.

Intestinum ileum foeminae, quae sub iisdem symptomatibus, ac mox dicta,

contabuit, foramen exulceratum magnitudinis faseoli monstrat.

Nro. CDXVII.

Ulcus intestinum coecum perforans.

Foramen exulceratum in diametro pollicem superans, margine incrassato cinctum, prope valvulam intestini hujus patet.

Nro. CCCLV.

Ulcus intestini recti.

Intestinum hoc in- et externe ulceribus arrosum.

Nro. CCLIV.

Fistula ani.

Completa ex viro 48 annor. febri nervosa mortuo, tyronum gratia adservatur, ut optimam de hoc morbo, ejusque operatione ideam formare sibi queant.

Nro. DLXXIII.

Carcinoma intestini coeci, et processus vermicularis.

In viro phthisi pulmonali affecto, saepiusque diarrhaeis vexato, quin ta-

men ultimo vitae tempore signa canalis intestinalis morbose affecti manifestaverit, tractus intestinorum crassorum incrassatus, a coeco ad rectum usque in facie interna colore variegatus, ulcera margine, et interstitiis tumefactis, induratis notata referens innumera; praecipue autem hac destructione foedissima intestinum coecum cum valvula, et processus vermicularis valdé incrassatus, longitudine vix pollicem unum et dimidium aequans, correpta deprehendebantur *).

Nro. CCLXXIII.

Intussusceptio intestini ilei a).

Portio intestini ilei pollices tres longa, superior quidem inferiori ita immissa

---

*) Ulcera hujus modi scirrho quasi cincta, foeda, vicies et ultra ad valvulam intestini coeci, et in intestino ileo prope hanc valvulam reperi adhuc semper in phthisicis.

a) *Beireis* D. de intestinis se intus suscipientibus et rarissima hujus morbi congeniti observatione. Helmst. 1769.

Becker D. de intussusceptione cum conjuncta observatione. Argent. 1769.

apparet, ut transitus per tubum intestinalem plane impediri debuerit: pars autem contenta intestini gangraena correpta valde friabilis fuit. Ex anicula sub continuo vomitu foeculento extincta.

Nro. CDXXIX.

Introsusceptio intestini coli.

Pars superior coli descendentis quadrantem ulnae longitudine superans, parti ejus inferiori intorta conspicitur.

Nro. CCCXC.

Volvulus duplex.

Totus tractus intestini coeci et coli valde incrassatus, ac a tramite suo ita deflectens apparet, ut colon transversum cum maxima descendentis parte in ascendente et coeco insertum contineatur, et

---

Rahn de passionis iliacae pathologia. Halae 1791 c. tab. aenea.

Brera Annotazioni med. prat. sulle diverse malattie etc. Cremona 1807. 4. Vol. II. s. Harles neues Journ. für die ausl. med. chir. Lit. B. VIII. St. II.

pars intestini recurrens in altera parte contenta, una cum hac in tertia discurreret; quod semper in quovis volvulo, aut intussusceptione fieri necesse est, nisi tractu intestinali interrupto: Ergo volvulus hic non duplex, sed simplex stricte appellandus *).

Nro. CDLXXX.

Volvulus intestini ilei.

Intestinum ileum laqueo ex fasciculo omenti formato quatuor in locis ita constrictum conspicere licet, ut, omni transitu sublato, ileus et gangraena insequi debuerit **) a).

---

*) Casus summa attentione dignus nuper mihi obvenit. In cadavere scilicet maniaci nihil morbosi detegi potuit, quam volvulus, aut intussusceptio intestini coli; in intestino coeco, valde incrassasato colon ascendens, sphacelo plane destructum fuit contentum.

**) Similis casus mihi occurrit, ubi ileon minimum sexies tali fascia constrictum, gangraena destructum, ac hinc inde dilaceratum apparuit.

a) J. R. Meyer D. de strangulationibus intestinorum in cavo abdominis. Argent. 1766.

Nro. CCLXXVIII.

Ileus chronicus.

Omentum majus fibrarum morbosarum ope cum ovario dextro concretum, constringendo hac ratione partem intestini ilei, ileum produxit chronicum in muliere, quae saepius ab aliquot annis constipatione alvi laboravit, donec tali paroxysmo succubuerit.

Nro. XC.

Volvuli species rarissima a).

Pars intestini ilei infima, a processu vermiculari, cujus fine et exordio inter se concretis, duobus in locis circumstricta conspicitur, unde ileus, gangraena, ac laceratio ipsa originem traxerunt.

---

a) *Alex Monro* Essays of a Soc. in Edinb. Vol. II. p. 368.
Scarpa sull' ernie etc. Milano 1809.

Nro. CXCIV.

Hernia congenita a).

Portio intestini ilei in tunica vaginali testis sinistri reclusa conspicitur, ubi tum libera scroti per anulum cum cavo peritonaei communicatio, tum etiam

---

a) *Richter* Abhandlung von den Brüchen. Götting. 1785.

P. Kamper Icones herniarum edit. a *Sömmerring* Francof. 1801. Fol. max. c. tab. aeneis. XIV.

Anton Scarpa sull' Erni; memorie anatomies chirurgische. Fasc. I. et II. Milano 1809. Fol. max.

Sömmerring über die Ursache, Erkenntniſs und Behandl. der Brüche am Bauche, und Becken ausser der Nabel-und Leistengegend. Preisschrift. Frankf. a. M. 1811. 8.

Sömmerring Ueber die Ursache, Erkenntniſs und Behandl der Nabelbrüche. Preisschrift. Frankf. a. M. 1811. 8. m. K.

Hesselbach anat. chir. Abhandl. über den Ursprung der Leistenbrüche. Würzb. 1806.

Wachmanns Vorlagerungen.

Ger. Sandifort tabul. anat. Leid. 1804.

hujus in tunicam vaginalem continuatio luculenter demonstratur. Ex viro 36 annor. qui ex phthisi periit.

Nro. CDII.

Hernia foraminis ovalis.

Pars intestini ilei foramen ovale ad vasa obturatoria permeabat.

Nro. CCXXVII.

Hernia operatione reposita.

Intestinum coecum, quod sacco hernioso firmissime adcretum, et nonnisi vi adhibita separandum ac reponendum erat, inflammationem, gangraenam, mortemque viro quadragenario induxit, qui octo jam dies hac hernia inquinali incarcerata laborans nimis sero auxilium petiit.

Nro. LIX.

Hernia interna incarcerata.

Foemina ileo derepente correpta, post mortem singularem illius causam retulit. Pars intestini ilei nimirum exigua inter fibras tendineas lamellae posterioris vaginae musculi recti ita insinuata

apparuit, ut inde vera intestini incarceratio, et gangraena insequeretur.

Nro. CCXLV.

Hernia umbilicalis incarcerata.

In viro quadragenario, qui ascite laborans ultimis ante mortem diebus, urinis copiosissime fluentibus ventre nimis cito collapso, dolores accusabat vehementes, pars intestini coli, olim per umbilicum prolapsa, tunc anulo umbilicali adeo constricta reperiebatur, ut in gangraenam abiverit.

Nro. CXCIII.

Hernia incarcerata.

Intestinum ileum in inquine incarceratum, et gangraena correptum, ex virgine 23 annor. quae, cum ob nimiam obesitatem operatio institui non potuerit, dirissimis sub doloribus obiit.

Nro. CCLXXV.

Intestinum ileum dimidia parte incarceratum.

In hernia labiali foeminae, ileo correptae lethali, pars dimidia intestini ilei

sub omento tali modo incarcerata apparuit, ut, una pariete coarctata, altera libera, transitus quidem inpediretur, functio tamen non ex integro interciperetur, donec pars illa in sphacelum abiverit.

Nro. CCXVIII.

Intestini incarcerati disruptio.

Pars exigua intestini ilei anulo abdominali arctissime constricta, absque ullo inflammationis signo gangraena correpta, patet disrupta.

Nro. CLXXIII.

Anus artificialis ex hernia femorali a).

Sub ligamento Poupartii pars intestini ilei, tegumentis communibus perforatis, denudata conspicitur, ita quidem, ut orbiculus ex intestino formatus in medio foramen diametri pollicis dimidii, in tractum intestinorum sursum ac deorsum ducens monstret.

---

a) *Ploucquet* a. a. O. art. excrementorum effluxus.

Nro. DLVII.

Anus artificialis ex hernia inquinali.

Pars intestini ilei in inquine extrorsum patens cum particula ossis pubis exsiccata.

Nro. CDXXVIII.

Prolapsus intestini recti a).

Intestinum rectum, pollices minimum quatuor extra anum dependulum, inferius ad magnitudinem pugni virilis incrassatum, ac induratum.

Nro. CCXXXVII.

Calculus intestinalis.

Hic magnitudinis et figurae ovi columbini, superficiei scabrae, coloris rubiginosi vix non atri, drachmas duas pondere aequans, ex pluribus laminis concentricis, sibi incumbentibus forma-

---

a) *Heister* D. recti prolapsus anatome. Helmst. 1737.
Senff D. de procidentia ani. Jan. 1792.
Jordan de prolapsu ex ano. Götting. 1793.

tus, quarum color successive ad interna nitens evadit, ex judaeo quodam cum alvo excretus fuit.

Nro. CCXCVIII.

Calculi intestinales.

Numero duo, quorum major figurae ovalis compressae, superficiei scabrae inaequalis, coloris sublutei, pollices duos et dimidium longus, duos fere latus, unumque crassus, uncias duas ac drachmas quinque pondere excedens; alter minor, ovalis, superficiei glabrae, coloris externe fusci, interne ex albo grisei, longitudine pollicem unum et tertiam ejus partem, latitudine pollicem fere unum, crassitie dimidium excedens, drachmas duas pondere aequans, a D. Professore Krauseneker jam supra allato in intestinis quidem fuerunt inventi; sed natura sua potius ad calculos biliares pertinere videntur, cum habitus eorum externus cum illis vesicae felleae comparatus jam hoc demonstret, ac transitus

illorum per ductum choledochum in intestina ad casus vix pertineat rarissimos *).

Nro. CDXXVII.

Pars ilei lumbricis repleta a).

Suprema intestini ilei pars lumbricis innumeris variae magnitudinis referta turget. Ex puella 10 circiter annor. atrophia mortua.

Nro. CX.

Trichocephalus dispar.

Masculus, foemineusque ex intestino coeco mortui.

Nro. XII.

Taenia lata Lin.

Longissima cum capite ex mortuo.

---

*) In ductu choledocho ad ejus insertionem in duodenum ipse jam calculum dactyliformem, magnitudinis supra dicto minoris quondam reperi.

a) Rudolphi Entozoorum s. vermium intestinalium historia naturalis. Vol. II. Amstelod. 1808. 7809.

Nro. XXIX.

Taenia solium tenerrima.

Perlonga absque capite e viro.

Nro. CXXXII.

Taenia solium Lin.

Perlonga cum membris crassis, sine capite.

Nro. CDVI.

Taenia solium cum capite.

Maxima hujus taeniae pars superior super cylindrum ex cera atra formatum elegantissime extensa.

Nro. CCXLIV.

Taenia solium ex cane.

Pars taeniae membris sat crassis praedita, coloris fere grisei, in foecibus canis viventis vivens, gramine obvoluta deprehendebatur. Inde patet, et canes hac specie taeniae vexari, ac devorato gramine ab hocce inimico hospite liberari.

Nro. DXIV.

Taeniae, lumbrici, et ascarides ex gallina.

Frusta taeniae, lumbrici, ac ascarides plures ex eadem gallina mortua.

Nro. CLXXII.

Hydatis intestini ilei.

Pars ilei foeminae 42 annor. phthisi consumtae vasa lactea ad mesereum decurrentia cum hoc ipso materia flavescente pastacea valde turgentia monstrat; in latere vero opposito vesica magnitudine nucis juglandis majoris, vix non transparens, vasorum expers, grumo subflavo, fluido viscido ejusdem coloris innatante referta, ita ei inhaeret, ut nulla inter hanc vesicam et intestinum ipsum communicatio, intestino dissecto, pateat, et intestinum hoc in loco tunica externa quoque obductum sit, quod incisura intestini ad basim vesicae adcretam, hac ipsa intacta, demonstrat *).

---

*) D. Prosector Vetter ex dilatatione vasis lympha-

ε. Morbi hepatis et cystidis felleae a).

Nro. CCCLXVI.

Hepar ab omento impressum.

Facies hepatis anterior convexa impressionem transversam sat profundam, ambos lobulos occupantem, per thoraculum inductam monstrat.

---

tici exortam esse hanc vesicam arbitratus. s. Aphorism. a. d. path. Anat. S. 76.

a) *Bierwirth.* de hepatis structura et morbis. L. B. 1706.

F. Hoffmann D. de morb. hepatis ex anatome detegendis. Halae 1726. und D. de morb. ex hepatis vitio. Halae 1726.

Goelicke D de singularibus hepatis hum. in statu naturali et praeternaturali. Fr. 1756.

Tacconi de raris quibusdam hepatis aliorumque viscerum affectibus. Bonon. 1740.

Saunders on the structure and diseases of the Liver. etc. Lond. 1793.

Ehrenberg D. de mixtura formaque hepatis laesa. Halae 1802.

Ikem D. de morbis hepatis. Jen. 1802.

Nro. CLXIV.

Physconia hepatis a).

Hepar senis nobilis, in capite morborum ossium sub Nro. CLXIII. jam allati, arthralgia chronica detriti, figuram, colorem, substantiamque normalem, sed molem adeo auctam exhibet, ut libras 19 pharmaceuticas pondere aequaret.

Nro. LXIII.

Hepar pseudomembrana obvolutum.

Substantia hepatis viri hepatitide mortui pseudomembranis crassis ita involuta est, ut cognosci vix possit.

Nro. XCII.

Abscessus hepatis praegrandis.

In medio hepatis abscessus, substantia ejus maxima pro parte exesa, ad portam hiulcus patet.

---

a) *Ahrens* D. de aucta hepatis magnitudine, variorum morbor. fonte, cadaverum sectione illustrata. Erf. 1798.

Portal Beobachtung über die Rhachitis. S. 1099 — 102.

Nro. CCCXLVII.

Abscessus hepatis in cavum abdominis ruptus.

In facie inferiori lobi dextri vomica hiulca permagna patet.

Nro. CVI.

Hepatis abscessus duodeno communicans.

Lobus dexter abscessu in duodenum ducente ex integro corruptus, excavatusque ita quidem, ut membrana externa fere cartilaginea, in facie interna floccis obsita, hydatidibus evacuatis, aëre per intestinum inflato, et pure plena apparuerit. Ex illa muliere, quae hydatides evomuit, de quibus jam in capite de ventriculi morbis sub Nro. CV. sermo fuit.

Nro. CDIX.

Vomica hepatis in cavum pectoris patens.

Totus fere lobus dexter vomica, diaphragmate perforato, in cavum pectoris patente excavatus.

Nro. XLVI.

Hepar tuberculosum.

In foemina sexagenaria, quae ictero frequentiori, et obstructionibus laborans tabe consumta est, hepar ingens, tuberculosum, fere induratum; sic et uterus iisdem tuberculis instructus reperiebatur, de quo sub Nro. XLVII. iterum loquar.

Nro. CLXV.

Hepar tuberculosum ingens.

Italus 38 annor. ab aliquot jam annis hypochondria vexatus, tabe tandem periit. In ejus cadavere sequens morbosus hepatis status innotuit: Moles ingens, ponderis librarum 26 ac unciarum 6; superficies tuberculis diversae magnitudinis obsessa, quorum majores et illam nucis juglandis adtingunt, interstitiis tamen illibatis; figurae erant sphaericae, in medio impressae, coloris flavi, rubelle striati; substantia ejus reliqua longe mollior, ac pinguedini non absimilis.

Nro. LXII.

Steatoma hepatis a).

E foemina, quae ictero laborans, atrophia periit, tumor steatomatosus ductus biliferos ita comprimens reperitur, ut transitus bilis intercipi debuerit.

Nro. CDXXIV.

Ossificatio hepatis b).

Nro. XIX.

Hepatis pars ossificata.

Magnitudinis pomi, excavata. Ex vetula 84 annor. quae nullum unquam incommodum inde sensit, ac apoplectice obiit.

Nro. DLXXIV.

Calculus biliaris ex substantia hepatis.

Calculus hic flavicans, glaber, levis, licet magnitudine non penitus, tamen

---

a) *Enaux* in Nouv. Mem. de l'acad. de Dejon. 1783. T. I.

b) *Sömmering* zu Baillie S. 138. und 139. Nro. XVI.

Walter anatom. Museum. B. I. Nro. 303. u. 337.

figura ovum columbinum perfecte aequans, in medio lobi hepatis dextri, in steatoma album, durum, quo magis ad centrum, eo durius degenerati, deprehensus. Ex foemina 49 annor. obstructionibus hepatis affecta, tabeque consumta.

Nro. DX.

Calculi biliares ex substantia hepatis.

Hepar maniacae, quae nullum hepatis adfecti symptoma retulit, tuberculis steatomatosis obsitum, in regione vesicae felleae simul degeneratae, quacum concretum fuit, calculos quatuor figurae irregularis, magnitudinis nucis uvellanae continuit, quorum maximus destructione partium confinium jam comminutus appuruit.

Nro. DL.

Hydatides innumerae una cum proavia ex hepate. a).

Hepar foeminae febri biliosa maligna defunctae fere normale, et nonnisi quid-

---

a) *Ludersen* de hydatidibus. S. 15. ff.

quam solito mollius, in superficie superiori lobi dextri ad diaphragma cystides coloris albicantis duas, substantiae quidem pro parte immersas, ab illa tamen facile separandas retulit. Harum major pugnum virilem magnitudine aequans, ex membrana crassa hinc inde cartilaginea, vasis experte formata, tensa innumeras variae magnitudinis vesiculas, fluido albuminoso innatantes continet, quarum singulae minores, haeque adhuc minores et s. p. eodem modo includunt, ita quidem, ut cystis exterior omnium singularum, totiusque hydatidum familiae proavia esse videatur. Altera cystis minor nucem juglandis excedens, etiam notabilem, ast tamen minorem quantitatem hydatidum continuit, ut familiam fere lateralem constitueret; et tali modo conjunctim generationem integram elegantissime repraesentent.

Nro. CCLXII.

Hydatis ex hepate porcino.

Bulla praegrandis, magnitudinis pugni virilis, minoribus repleta.

Nro. CCXXIV.

Taenia hydatigena.

Hepar suis hydatidibus variae magnitudinis undique repletum.

Nro. CDXLIII.

Vesica fellea incrassata a).

Ab inflammatione praegressa.

Nro. CDXXX.

Vesica fellea valde extensa b).

In longum et latum, figuramque S. romani fere repraesentans.

---

a) *Viscerus* D. de folliculi fellis natura et affectibus Tub. 1582.

Considerations on bilious diseases and some particular affections of the liver, and the gall bladder. Lond. 1790. übers. in Saml. für pract. A. B. XIV. S. 56 ff.

Jaeger D. de hepatitide cum naturali vesicae felleae defectu. Tub. 1780. 4.

Jo. P. Frank. Interpr. clin. observ. selectar. P. I. Tübing. 1812.

b) *Goldwitz* Pathologie der Galle. Bamb. 1789. S. 77.

Nro. CCXCII.

Vesica fellis ingens.

Non adeo dilatata, quam oblongata ad pollices fere 9.

Nro. DLXII.

Cystis fellea praegrandis.

In viro ictero viridi affecto, pars pancreatis intestino duodeno vicina una cum hoc, et glandulae circa ductum choledochum ejusque insertionem inter se concretae, tumefactae, ac induratae, talique modo compressione illius ductus, evacuatione bilis impedita, ac nimia hujus accumulatione, vesica enormiter expansa deprehendebantur.

Nro. CCLXIX.

Vesica fellis ingenter expansa.

Vesica haec viri tricenarii icterici, una cum ductu choledocho adeo amplificata,

---

Simmons Medical Communications. Lond. 1784. Vol. I. N. V.

Blumenbach medic. Biblioth. B. II. S. 338.

ut vesicam urinariam volumine superet. Causam hujus expansionis enormis substantia pancreatis scirrhosa finem ductus choledochi comprimens sistit, ideoque icteri quoque lethalis.

Nro. CDXCV.

Vesica fellis peculiariter deformis.

Vesica haec pollices 8 longa, absque dilatatione notabili, in medio ita incurvata est, ut angulum formet rectum, inferiorque pars amplior margini hepatis sinistrorsum adhaeserit, insimul calculos plures pisiformes friabiles continens. Ex maniaca, cujus cadaver parum abnormis praebuit.

Nro. DXIII.

Vesica fellis praegrandis cum calculo.

In maniaca 64 annor. morosa diarrhaea continuo fere vexata, tandemque, viribus derepente labentibus, mortua hepar praegrande, substantiae mollis, coloris subfusci, tuberculis steatomatosis albis conspersum; vesica fellea praegrandis, renem adulti fere repraesen-

tans calculo magnitudinis nucis avellanae, et bile coloris fusci referta; lien permagnus coloris profunde lividi marcidus, reperta sunt.

Nro. CXXXIX.

Abscessus in vesica fellea.

In foemina ascite mortua, ventriculus adeo contractus deprehendebatur, ut intestini tenuis figuram retulerit. Vesica fellis primo intuitu nulla, accuratius vero perlustrata, abscessu genuino pure pleno destructa apparuit.

Nro. CII.

Vesica fellea degenerata.

Ductus cysticus abscessu penitus destructus calculos biliares numero 29 sub Nro. CIII. adferendos continuit, vesicula ipsa inflammatione praegressa partibus vicinis adcreta, pure plena, ac tunicae ejus edeo incrassatae, ut pollicem in diametro aequarent.

Nro. DXXXII.

Vesica fellea praegrandis scirrhosa, exulcerata a).

Haec massam enormem scirrhosam, simulque exulceratam repraesentans calculos numero 17 mox sub Nro. DXXXIII. describendos continuit. Ex muliere ictero chronico affecta, tabeque consumta, in cujus cadavere insuper arteriae in substantia lienis osseae, in capite vasorum sub Nro. DXXXIV. jam allatae deprehendebantur.

Nro. CCCXLVI.

Vesica fellea disparens.

Cystis haec collapsa fere evanuit, et nonnisi fundus ejus calculo magnitudinis nucis avellanae repletus apparet.

---

a) *Sabatier* D. de cystidis felleae tumoribus. Paris 1757.

Nro. CCLXXIX.

Vesica fellea praegrandis numerosissimis calculis referta a).

Cystis ad volumen saltem duplum, extenuatis tunicis, amplificata, calculis magnitudinis pisi et majoribus, albis, multangularibus, numero 358 referta turgebat, qui omnes unciam fere integram aequant.

Nro. LXXXVIII.

Calculi biliares.

Vesica fellea exigua, calculis plena ex foemina fluore albo chronica affecta.

---

a) *Straub* de calculis biliariis. Argent. 1777.

Sömmering de concrementis biliariis, corp. humani. Traj. ad Moen. 1795.

Fr. A. Walter Anat. Musaeum B. I. S. 87—129. Nro. 158. 260.

Mosavius D. de Calculorum animalium eorumque imprimis biliariorum origine, et natura. Berol. 1812. c. tab. aen.

Nro. CXVIII.

Calculi biliares in situ.

Fundus cystidis parvae calculis repletus patet. Ex vetula 74 annor, quae tabe periit.

Nro. CCCXXXVII.

Cystitis a calculis biliaribus.

Vesica fellis calculis innumeris variae magnitudinis, multangularibus, albis turgida, per inflammationem cum his conglutinata apparet.

Nro. LIV.

Calculus biliaris cervicem vesicae obturans.

Collum vesicae felleae liquore semipellucido albescente repletae, calculo magnitudinis nucis juglandis obturatum. Ex cadavere viri quadragenarii, qui ictero periodico laboravit, ac tabe consumtus est.

Nro. CLXXI.

Vesica fellea calculo obturata.

Cystidis naturali duplo majoris, hu-

more pellucido repletae cervix calculo magnitudinis nucis juglandis obturata. Ex viro sexagenario ascite necato.

Nro. CIII.

Calculi biliares.

Multangulares, albi, magnitudinem pisi excedentes, numero 29 in ductu cystico sub Nro. CII. jam dicto deprehensi.

Nro. DXXXIII.

Calculi biliares cuboidei.

Hos magnitudine nucis avellanae et minores, coloris fusci, numero 17 vesica sub Nro. DXXXII. jam allata continuit.

Nro. CXYXIV.

Calculi biliares.

Cubiformes, coloris subfusci grisei, magnitudine nucis avellanae minimae, compacti, numoro 89. Ex vesica fellea mulieris, quae nullum hepatis adfecti symptoma unquam sensit, phthisique consumta est.

Nro. DLVI.

Calculi biliares numero 72.

Hi variae figurae et magnitudinis, nucis avellanae, et minores, coloris brunei, variae consistentiae, in vesica fellis illius viri inveniebantur, de quo sub Nro. DLV in capite de membranis cerebri locutus sum.

Nro. XI.

Calculi biliares perexigui.

Hi innumeri albi, minutissimi frustula majorum repraesentantes in vesica fellea foeminae ictero vexatae inventi.

Nro. CCCIII.

Calculi biliares lutei.

Multangulares, magnitudinem nucis avellanae vix attingentes, coloris subflavi, numero 14.

Nro. CCCIV.

Calculi biliares nigri.

Multangulares, pisi magnitudinem excedentes, externe coloris nigri, interne

albidi, in medio stellam formantes fuscam, numero 11.

Nro. CCCI.

Calculi biliares aterrimi granulosi.

Mora rubi minora repraesentantes, externe fuliginosi, interne nitentes, numero 12. Ex viro peripneumonia defuncto.

Nro. CDXCIV.

Calculi biliares moriformes crystallisati.

Albidi, friabiles, numero 7 fortuito casu inventi.

Nro. DXXXIX.

Calculi biliares multangulares.

Albidi, magnitudinem nucis avellanae non attingentes numero 23. fortuitu inventi.

Nro. DXL.

Calculi biliares.

Numero 5, tres permagni, nuce avellana majores, varie colorati ac figurati,

quorum maximus figurae irregularis, ex granis diversae magnitudinis compositus, colore moro rubi immaturo non absimilis; alter conoides, coloris fere ejusdem, granulis flavis obsitus; minimus colore canus multangulum format. Ex gravida, sine ullo symptomate.

Nro. CDXC.

Calculi biliares flavi.

Hi magnitudinis et coloris externi castaneae, vix non triangulares, pro parte politi, interne flavescentes, crusta involuti, fragiles, lamellatim crystallisati, et variegati, numero 2 fortuito reperti.

Nro. DLXV.

Calculus biliaris.

Flavicans, asper, dactyliformis ex collo vesicae felleae, induratione et exulceratione degeneratae fabri ferrarii 27 annor. qui hepatitide quondam ex causa mechanica affectus, abhinc obstructione hepatis, ac saepius febri in-

termittente vexatus, phthisi tandem una cum hydrothorace obiit.

Nro. DIII.

Calculus biliaris dactyliformis.

Perfecte dactylum magnitudine, forma et colore aequat, drachmam pondere superans. Ex foemina, quae ictero, ascite et scirrho uteri laborabat.

Nro. CCCII.

Calculi biliaris primordium.

Hic magnitudinis et coloris externi nucis moschatae, levis, in crusta coloris dicti lineam crassa massam monstrat albidam, quidquam flavescentem.

Nro. CXCV.

Culculus biliaris praegrandis.

Conum detruncatum aut obturaculum aequans, pollicem unum et dimidium longus, ad basim pollicem in diametro excedens, superficiei verrucosae, saponis instar tangendus, coloris sordide cani, suppositorium perfecte repraesentans, in basi ac facie ei opposita crusta

denudatus, fuscus ac politus, et interne flavus apparet, unciam semis pondere excedens.

Nro. CCCIX.

Calculus biliaris.

Hic magnitudine nucis avellanae majoris, ponderis drachmae unius ac dimidiae, caeterum omni ratione priori simillimus.

Nro. CCCVIII.

Calculus biliaris crystallisatus discissus.

Magnitudine nucem avellanam aequans, flavus, superficiei scabrae, interne albicans splendens, ex centro fusco radiatim crystallisatus.

Nro. CCCV.

Calculus biliaris niger discissus.

Magnitudinem nucis avellanae excedens, coloris cinerei, crusta nigra pro parte involutus, interne radiatim crystallisatus, cum nitore canus.

Nro. CCCVII.

Calculus biliaris albus discissus.

Figura prunum dimidium minorem aequans, interne ex centro cano radiatim crystallisatus, nitens.

Nro. CCCVI.

Calculus biliaris albicans praegrandis.

Magnitudinis ac figurae pruni majoris, in superficie scaber, ad attactum viscosus, lumini oppositus subpellucidus apparet, interne e centro cano radiatim crystallisatus albicans nitens, conspectu spermati similis, ponderis unciae semis.

Nro. CXIX.

Calculus biliaris pellucidus.

Partem pruni aequans, albus, sub tactu viscosus, lumen versus conspectus semipellucidus, interne radiatim crystallisatus, nitens.

ζ. Morbi lienis a).

Nro. CCLXIII.

Lien inflammatus.

Lien permagnus pseudomembranis obsitus, adeoque dissecando induratus patet, ut substantiam cordis musculosam fere repraesentet, ac inflammationem praegressam demonstret. Ex muliere quadragenaria phthisi consumta.

Nro. CLVIII.

Lien ingens b).

Volumen lienis quidquam solito compactioris caeterum normalis adeo adauctum, ut libras octo pondere aequaret. Ex viro affectionibus hypochondriacis jam dudum vexato, tandemque apoplectice mortuo.

---

a) *Ruckstuhl* D. de morbis lienis. Argent. 1781.
Kausch Ueber den Milzbrand des Rindviehes. Preisschrift. Berlin 1805.

b) *Lieutoud* P. I. p. 276. obs. 933.

Nro. XCVIII.

Lien tabescens a).

Moles lienis involucro cartilagineo obducti, atque vix non decolorati adeo imminuta, ut ovum anserinum magnitudine vix superet.

Nro. CDXXXIX.

Lienis ossificatio incipiens b).

Involucrum substantiae lienis exigui in superficie convexa, in crustam osseam mutatum.

Nro. DIX.

Lienis pars ossificata.

Pars involucri faciei convexae lienis perexigui ossea, in longum et latum pollicem aequans, fortuito inventa *).

---

a) J. P. *Frank* Interpret. clinic. obs. selectar. P. I. Tübing 1812 S. 261.

b) *Penada* Saggio secondo d'osservaz. e memorie med. anatom. Padua 1800.

Klose Beyträge zur gerichtl. Arzneyk. Bresl. 1811.

*) Lienes, ossea aut tantum cartilaginea crusta obductos semper volumine imminutos reperi.

Nro. DXXXVI.

Ossificatio lienis.

Pars parenchymatis in glomum osseum mutata nucem juglandis magnitudine superans, fortuito inventa.

Nro. CCLXXXVIII.

Lien ossefactus.

Maxima pars lienis, et nonnisi parenchymate ad faciem planam excepto, in substantiam osseam pollices quatuor longam, duos et dimidium latam, et minimum quadrantem pollicis partem crassam degeneravit. Ex milite 78 annor. qui symptomatibus calculi vesicae urinariae a longo jam tempore vexatus, somno turbato, appetitu prostrato, carnem praecipue nauseans urinam minxit ichorosam foetentem, ac tandem, ulceribus circa labia oris pessimis, cito proserpentibus exortis, tabe periit. In cadavere praeter ossificationem lienis, pluriumque arteriarum, vesica urinaria ichore cruento et sabulo referta; prostata ac vesiculae seminales hoc ichore,

absque ulcere, sicut spongia scatentes, hunc pressione minima effundentes; ventriculus cum pyloro, colon et intestinum rectum valde incrassata reperiebantur *).

η. Pancreatis a).

Nro. CDLXXXVI.

Pancreas scirrhosum ingens b).

Senex 79 annorum, affectionibus catarrhosis, et arthriticis frequentioribus

---

*) Marcida lienis conditio, qua grumi sanguinis instar digitis solvi potest, unus ex frequentissimis hujus visceris morbis mihi videtur.

a) *Hoffmann* D. de pancreatis morbis. Halae 1718. 5. opp. suppl II. 2. p. 334.

Büchner D. de damnis ex male affecto pancreate in sanitatem redundantibus. Halae 1759.

Barfoth D. de morbosis pancreatis affectionibus Lund. 1799.

Harles Ueber die Krankh. des Pancreas u. s. w. Nürnb. 1812. 4.

b) *Rahn* D. scirrhosi pancreatis diagnosis, observ. anat. pathol. illustrata. Götting. 1795. c. tab. aen.

vexatus, sine causa nota derepente febri valida cum doloribus abdominis levibus juncta corripitur. Dolores hi indies aucti, et in epigastrio radiatim a regione pancreatis dispersi, dirissimi, ultra quatuor septimanas, remediis omnibus incassum adhibitis, una cum vomitu, alvique constipatione et anxietate praecordiorum maxima illum excruciant. Dolorum et obstipationis vices nunc subeunt tumor in eadem regione indies increscens, ac diarrhea, superveniente serius ictero. Vomitus, anxietas praecordialis, et febris persistunt. Sudoribus tunc nocturnis, diarrhaea pessima cum borborygmis ac flatibus valde foetentibus metuque suffocationis excruciatus, colore flavo-nigrescente tinctus, ac emaceatus animam tandem exspirat.

Cadaver tunc morbi hujus horrendi causam, pancreas nempe refert in massam enormem, scirrhosam, duram, in omne latus, praeprimis vero sursum ac deorsum excrescentem, fere uvaeformem degeneratum, et ubique locorum cum partibus vicinis firmiter concretum, ponde-

ris minimum trium librarum; caeteris visceribus e situ semotis, aut compressis, plus minusve degeneratis, et functione destitutis, quorum maxime hepar, duodenum, et jejunum affecta fuerunt, illud compressum et bile turgens, haec gangraena correpta.

9. Mesenterii a).

ι. Omenti b).

Nro. CCCXXXVI.

Epiploen restiforme.

Omentum majus in funem quasi contractum, ac incrassatum, pollicem in diametro aequans.

---

a) *Goelicke* D. de mesenterii affectibus. Halae 1742. *Stock* D. de statu mesenterii naturali, et praeternaturali. Jen. 1755.

b) *Reetmann* D. de omento sano et morboso. Argent. 1753.
Halder D. morbis omenti. Götting. 1786.
Goulay im Journ. de Medic. 1810. Maj. S. 403.
Callisen Act. Hafniens. Vol. I.
Mongin D. sur la petrification d'un epiploon. Paris 1735.

Nro. XVIII.

Omentum degeneratum.

Omentum majus totum in massam scirrhosam duram mutatum, sic quidem, ut longitudo ejus ab uno latere in alterum pollices decem, latitudo ab alto deorsum tres, et crassities minimum pollicem unum aequet. Ex subjecto, cujus jam sub Nro. IV. in capite de intestinorum affectibus memini, et in illo de ovariorum morbis sub Nro. XVII. adhuc meminero.

Nro. CCXI.

Epiplo-omphalocele.

Insignis omenti portio in anulo umbilicali haerens, quin tamen in externa abdominis facie tumor esset conspicuus. Ex foemina 42 annor. quae decies peperit.

Nro. LXI.

Omphalocele.

Anulus umbilicalis portionem epiploi notabilem continet. Ex eadem vetula osteosteatomate uteri affecta, qui sub Nro. LX. obveniet.

Nro. CCLXXXVII.

Epiplo-enterocele incarceratum.

Omentum cum parte intestini ilei anulo abdominali constrictum, herniam enormem constituit. Ex viro, qui enteritide periit.

Nro. CCLXXXI.

Hernia labialis.

Omentum per anulum abdominalem in labium vulvae dextrum prolapsum, tyronum gratia adservatur, ut habitus anuli extensi in muliebribus conspici possit.

x. Peritonaei a).

Nro. CCCXI.

Peritonitis.

Peritonaeum cum particula diaphragmatis viri sexagenarii inflammatione in-

a) *Walter* de morbis peritonaei et apoplexia. Berol. 1785. c. fig.
Wrisberg et *Rudolphi* de peritonaei diverticulis, illisque imprimis, quae per umbilicum et lineam albam contingunt. Götting. 1780.
Frank de retentionibus. P. I.

testinorum correpti, paucasque post horas mortui, inflammatione incrassatum, ac eminentiis, exanthemati externo non absimilibus obsitum.

c. *Morbi organorum uropoëticorum.*

α. Renum et β. ureterum a).

Nro. CDXIII.

Abscessus renis in colon patens.

In parte inferiori renis dextri enormis, pseudomembranis obvoluti, cum intestino colo intime concreta abscessus praegrandis substantiam illius, ac hujus

---

a) *Troja* Lezioni interno al mali della vesica orinaria et delle sue apparterenze etc. Neap. 1785. Deutsch im Auszuge. Leipz. 1788.

Heer D. d. renum morbis etc. Halae 1790.

Titius Programata III de renum vitiis. Viteb. 1798.

Fr. A. Walter einige Krankh. der Nieren und Harnblase u. s. w. Berlin 1800 4. mit 13 Kupf.

Knopf D. sistens pathologiam renum. Jen. 1800.

Vogt Progr. Physconiae renalis commemoratio. Viteb. 1804.

parietem adeo devastavit, ut cavitas inter ambo communis, exulcerata, caput infantis neonati includere vix non posset, et difficile sit distinctu, ex quonam organo haecce devastatio primo exiverit; historia enim deficit.

Nro. DVIII.

Ren in vesiculas degeneratus.

In superficie renis dextri viri, ascite mortui, substantiae caeterum omnino normalis (sicut ureter) vesiculae plures, nuce avellana majores, et minores, una vero magnitudinis pugni virilis faciei posteriori insidens, quae aqua fusca repletae fuere.

Nro. CCXCI.

Renis substantia in hydatides degenerata.

Ren molem permagnam in vesiculas diversae magnitudinis fluido lutulento flavescente plenas degeneratam: nullas vero hydatides refert.

Nro. CCCXXXI.

Ren degeneratus discissus.

Ren sinister juvenis febri acuta mortui, in massam praegrandem vesiculosam mutatus, ita quidem, ut cavernulae variae magnitudinis singulae, inter se non communicantes, aquam continuerint lutulentam.

Nro. XXXVIII.

Pelvis renis morbosa extensio.

Ureterem complectens.

Nro. CDXCIII.

Hydrops pelvis renis ac ureteris sinistri.

Ostium ureteris sinistri ad vesicam urinariam plane concretum; ureter ideo magnopere, hinc inde ad pollicem unum ac dimidium fere in diametro dilatatus, simulque oblongatus; pelvis renis permagni enormiter extensa (libram aquae lutulentae continuit), vesica mi-

nima, quia solumodo per ureterem dextrum sanum, ex rene ejusdem lateris normali urinae affluere poterant. Ex viro, qui ante aliquot tempus febri intermittente vexatus, tandem, nullo symptomate renis adfecti apparente, tabe periit.

Nro. C.

Hydrops renum.

Specimen profecto rarissimum. Ren scilicet uterque, substantia sua omni consumta, ex meris bullis, magnitudinem pomi hinc inde superantibus, inter se communicantibus, et aqua urinam redolente plenis constans, adeo extensus, ut longitudine pedem integrum, et in diametro transversa dimidium excedat, ac pelves infundibula repraesentent. Ureteres ita amplificati, ut potius formam intestinorum tenuium praeseferant. Vesica urinaria minimum triplo major normali. Ex adolescente 18 annor. qui in publicis ecclesiae St. Stephani choris canens, doloribus saepe colicis correptus

est, ac serius, febri nervosa feliciter exantlata, jam reconvalescens iterum de ventris dolore perpetuo conquerebatur. Abdomen dein tumidum indies magis increscens ascitem mentiebatur, diabetes sequitur, et mors miserum, emaciatum cruciatu liberat. Notatu dignum adhuc est, fabrica urinarum plane destructa, tamen secretionem illarum potius adauctam, quam imminutam fuisse, quod probat, ramulos arteriae renalis tunc quoque fluidum urinosum secernere posse; si solumodo in membranis ac sepimentis renum dispersae sunt.

Nro. X.

Acidum saccharinum ex urina eductum.

Prostat in duplo: *crystallisatum* crystallos nempe formans aciculaeformes canos; et in *forma extracti*, coloris fusci; cujusvis horum drachma una et dimidia ex libris quatuor urinarum mulieris, diabete melito affectae, educta analysi chemica fuit.

Nro. DLXXII.

Acidum saccharinum ex urina eductum.

Acidum hoc crystallisatum, crystallos formans aciculares candidos, ex urina viri diabete melito laborantis eductum, renibus post mortem visitatis normalibus; et nonnisi sanguine quidqam turgentibus.

Nro. CLXXVIII.

Ren degeneratus.

Ren sinister volumine enormis, pseudomembranis involutus viri 39 annor. qui mictu imprimis cruento, dein diabete laborans, sub insigni lumborum dolore contabuit, ita degeneratus conspicitur, ut substantiam omnem in massam mollem flavescentem; pelvim vero, ureterem, ac vasa sanguifera in materiam caseosam commutata referat.

Nro. DLXVII.

Ren dexter in steatoma enorme degeneratus.

Pars renis dextri inferior, parte superiori normali, pelvique dilatata, in

steatoma tuberosum, submolle, librarum $5\frac{1}{2}$ degenerata conspicitur, una cum vesica urinaria valde incrassata, ad collum excrescentia magnitudinis nucis avellanae majoris subdura instructa, cujus fundus calculo (qui sub Nro. DLXVIII. hoc in capite obveniet) permagno repletus fuit, uretere normali. Ex viro 76 annor. bibone, qui saepius syphilide, serius haematuria affectus, tunc phthisi una cum hydrothorace ac hydrocardia laborans, confluxui tandem malorum nimio succubuit. Exenteratio cadaveris hujus vexatoris medicorum tunc praeter abnormitatem renis mox dicti, ac vesicae urinariae, adhuc glandulam lymphaticam, vesicae huic adjacentem ossefactam (de qua in morbis glandularum sub Nro. DLXIV. jam sermo fuit); aortam abdominalem ossefactam (sub Nro. DLXXI. in capite arteriarum jam allatam); et diaphragma (in capite morbor. musculorum sub Nro. DLXXII. descriptum) steatomatibus obsitum; pulmonem dextrum plane destructum; cavum thoracis, ac pericardium aquis plenum retulit.

Nro. CVIII.

Renis pars scirrhosa.

Ren maxima pro parte in massam praegrandem fere scirrhosam mutatus. Ex adolescente 18 annor. tumore colli affecto, et sub Nro. CI. in morbis gland. salivalium allato.

Nro. XX

Scirrhus renis.

Ren dexter permagnus albicans et durus, discissus in parte inferiori nucleum magnitudinis nucis juglandis, reliqua substantia multo compactiorem, qua primordium calculi monstrat. Ex muliere 75. annor. quae olim enteritide vexata, ab hoc tempore alvi obstipatione, dolore in lumbis, mictu cruento, ac singultu semper fere excruciata, tabida tandem obiit.

Nro. CXCVI.

Ren scirrhosus praegrandis.

Ren hic sextuplo major normali, libras tres minimum pondere excedit.

Nro. DII.

Pseudomembrana renis ossefacta.

Ren dexter volumine imminutus, caeteroquin normalis pseudomembrana crassa hinc inde cartilaginea, imo et ossea involutus inveniebatur in viro ascite defuncto.

Nro. DXXXVIII.

Ossicula ex substantia renis degenerati.

Frustula ossea in substantia tubulosa renis dextri praegrandis, duri, adipi intermixta, numero 12 reperta. Ex bajulo, qui a longo jam tempore de dolore obtuso ad eandem regionem conquestus, tandem tabe periit.

Nro. CDXIV.

Calculus renalis urinae viam intercipiens a).

Ureter sinister prope vesicam calculo renali magnitudinis faseoli obturatus.

---

a) *Gattenhof* D. de calculo renum, et vesicae.

Nro. CDLXXIX.

Calculus renalis in uretere haerens.

Calculus lentiformis in parte superiori ureterem obturans.

Nro. CCCL.

Ureter in utroque rene duplex a).

Specimen hocce rarissimum refert renes puellae 18 annor. ambos duplices (uti et ureteres,) substantiae normalis, sed volumine parvos; superior ren in utroque latere quidquam solito minor ureterem tenerrimum, sed normalem; inferior exiguus, quartam partem prioris aequans, ureterem priori majorem, praecipue ad pelvim amplifactum emittit. Hi renes utroque in latere coaliti, singuli pelvi intructi sunt propria, sic et tubulis. Ureteres separati decurrunt usque ad insertionem suam vesicae, tunc coadunati in vesicae cavum patent. Vesica, quam ratione numeri ureterum amplam quivis suspicaretur, perexigua,

a) *Molinetti* Diss. anatom. et pathol. L. VI.

nucem juglandis majorem vix excedit, tunicae ejus ita incrassatae, ut tertiam partem pollicis aequent, et cavitas proinde nucem dictam vix minorem capiat; urethra conspicua. Uterus ac ovaria minima. Aegra adhuc virgo, hydrope laborans urinam semper parcam turbulentam misit; donec huic morbo succubuerit. Causa morbi hic in functione renum segni fundata videtur.

Nro. CCCLXXVIII.

Tabes renum cum vesicae degeneratione.

Renes volumine quidquam imminuti flaccidi, decolorati, et dexter insuper cellulas variae magnitudinis fluido sordido plenas monstrat. Ureteres, praecipue ad partes inferiores valde dilatati, tunicis crassis instructi. Vesica faciem internam flocculis innumeris, lichenes quasi repraesentantibus, flavis obductam refert.

Nro. DXXXVII.

Peculiaris totius systematis uropoëtici degeneratio a).

Ob singularem hoc in casu rarissimo, causas inter et effectus morbi nexum fusius disseramus.

Vir 58 annor. consiliarius aulicus pensionarius, temperamenti subfrigidi, habitus corporis robusti, obesi, laxi tamen, compluribus conflictatus per vitae tempus malis, vitae continuo sedentariae adstrictus, a plus quam decem annis haemorrhoidibus varia sub forma vexatus est. Tunc ab aliquot annis etiam accedentibus urinae difficultatibus excruciato, sub lumbagine molestissima, nixuque valido calculi duo pisiformes prodierunt. Recentem dysuriae accessum absque causa nota denuo passus nosocomium intravit, ubi in clinico medico praecipue dolorem et gravitatem capitis, turgorem faciei, dyspnoeam cum oppressione ac tussicula, abdomen plenum, alvum ra-

a) *Scheffer* Misc. N. D. Dec. I. Ann. IX. obs. 102.

ram, urinam suppressam (quin tamen tensio aut dolor in hypogastrio perciperetur), lumbaginem, pulsus peculiariter plenos et magnos exhibuit. Diversis remediis adhibitis, nulla tamen ratione fluxus urinae provocari potuit, et intra spatium 7—8 dierum nonnisi una, alterave uncia lotii excreta. Solum per diarrhaeam spontaneam aliqua laticis aquosi pars, quae nequaquam urinas redolebat, eliminabatur, vesica semper vacua. Ex retentis tamdiu urinis phoenomena alia periculum indies adaugentia orta: sic caligines, vertigo, deliria nocturna difficultas respirii magna cum sibillo, venter plenus, vesica tamen semper vacua, inquietudo et anxietas maxima. Quum autem status asthmaticus in veram orthopnoeam transiverit suffocativam; diu, noctuque nonnisi sedendo maxima cum difficultate spiritum trahere poterat. Sputa juxta relationem aegri principium urinosum quidquam redolebant. Pulsus pleni inordinate micantes, frigus extremitatum inferiorum, oedema crurum accedebant. Quo sub rerum statu, quin

nec guttula lotii prodiverit, miser per octo adhuc dies agonizans, mentis haud amplius compos, tandem aliquot ante obitum horis aliquot urinae limpidae libras ad semel, sed sine levamine excernit, et mox tum ex denegato spiritu, tum ex suppresso per cerebri vasa circulo, apoplectice cruciatu diuturno liberatur.

Cranio ac thorace ob funeralia celebranda intactis, cavo tamen abdominis aperto, et rejecto circacircum diaphragmate, pulmones justo majori copia sanguinis infarcti, cor magnum, compactum, floccis membranaceis duriusculis, ex lymphae coagulo formatis, obsessum conspici poterant.

Tegumenta abdominis copioso lardo incrassata, prouti et omnia fere viscera adipe crasso involuta et quasi incrustata. Ventriculus aëre elastico enormiter expansus, maculis lividis notatus; atque intestina livescentia collapsa, massa adiposa ex omento utroque et mesenterio formata quasi inclusa. Processus vermicularis intestini coeci lividus, quartam fere ulnae partem longitudine aequans.

Hepar praegrande substantiae normalis, vesicula fellea exigua exinanita. Lien griseus fere, marcidus, multo adipe cinctus. Renes ambo una cum urèteribus copiosissimo ac valde compacto adipi quasi immersi, ac cum illo ita cohaerentes, ut nonnisi magna cum difficultate separari potuerint. Ren dexter volumine imminutus in superficie inaequalis et tuberosus, coloris tamen normalis, diversissimas internae fabricae aberrationes obtulit. Substantia corticalis meris constans cellulis magnitudine circiter nucis avellanae majoris, quarum aliae materia caseosa, lardacea, puriformi, aliae sanguine puro, aliae sero cruento, limpidissima aquula aliae scatebant. Substantia tubulosa in massam compactam lardaceam coaluit, lamellis osseis hinc inde intermixtam. Pelvis hujus renis abolita, ureterque dexter perfecte concretus, incrassatus, quibusdam in locis crassitiem digiti superans, fere durus. Ren vero sinister ad magnitudinem pugni auctus substantiam normalem exhibens, in tubulis bellinianis et pelvi caeterum norma-

li, sabulo et particulis calcareis scatuit. Ureteris vero sinistri canalis calculo ovali magnitudinis pisi perfecte obturatus, ut nec guttula liquoris ad illius latera per canalem transmitti potuisset. Vesica urinaria massae adiposae immersa, valde contracta, magnitudinem cystidis felleae vix excedens, membranis valde crassis instructa, vacua, lotium non redolens. Vasa lymphatica vicina, vasa deferentia, et vesiculae seminales, incrassata, ac inter sese concreta fuerunt, vasis sanguiferis intactis. In cavo abdominis nullum urinae vestigium repertum, neque odoratu exhalationes principii urinosi potuerant conjecturari.

γ. Morbi vesicae et δ. Urethrae a).

Nro. L.

Paralysis vesicae.

Vesica in volumen enorme extensa, ita, ut regionem epigatricam petens,

---

a) *Hodenpyl* D. de morbis vesicae urinariae. Leid. 1797.

minimum mensuras lotii duas continuerit. Ex viro 64 annor. ischuria chronica affecto.

Nro. CDXXVI.

Vesica urinaria cum sacco laterali b).

Vesica permagna tunicas incrassatas, in facie interna rete musculare callosum

---

Robertson D. de vesicae, urethraeque morbis. Edinb. 1800.

Schrand über d. Krankh. d. Harnblase, denen vorzüglich Männer im hohen Alter ausgesetzt sind. Wien 1806.

Sömmerring Abh. über die schnell und langsam tödtl. Krankh. der Harnblase und Harnröhre bey Männern im hohen Alter. Frankf. a M. 1809. 4.

Arnaud sur les maladies de l'urethre. Amsterd. 1764.

Querin D. sur les maladies de l'urethre. Par. 1782.

Wolff D. de morbis urethrae. Vienn. 1787.

Siebold resp. *Bamberger* de intussusceptione membranae urethrae internae ex prolapsu ejusdem. Würzeb. 1795.

b) *Sandifort* obs. anat. pathol. L. III. c. I. p. 14.

fere, et retro collum refert diverticulum, quod nucem juglandis excipere posset.

Nro. DLX.

Vesica urinaria cum diverticulis.

Vesica haec viri stranguria chronica vexati, valde incrassata, marcida, in facie interna glabra, aequalis, diverticula referens prope et infra ostium ureteris dilatati utriusque in cavum patentia tria, quorum maximum in latere dextro, volumine pomi minoris, foramine patens magnitudinis crucigeri fere, calculos numero 6 (qui sub Nro. DLXI. obvenient) continuit; reliqua duo in latere sinistro, confinia, non communicantia, vacua, minoris spatii priori, foramine quoque minori in cavum patent; rene utroque normali.

Nro. CCCXVIII.

Vesica urinaria degenerata.

Tunicae hujus vesicae ita incrassatae apparent, ut pollicem dimidium in

diametro longe excedant. Ex sene 77 annor. ischuria chronica vexato.

Nro CDXLI.

Vesica urinaria crassefacta, indurata.

Haec ad pollicem fere integrum incrassata ac dura apparet.

Nro. CXXXIII.

Vesica urinaria interne suppurata.

Vesica haec volumine imminuta, tunicis una cum vesiculis seminalibus enormiter incrassatis, cavitatem minimam in omni ejus ambitu exulceratam monstrat. Ex sacerdote 66 annor. qui ischuria periit.

Nro. DXXIV.

Carcinoma vesicae urinariae cum scirrho prostatae ac vesicularum seminalium.

Vesica haec volumine adaucta, pseudomembranis crassis partibus vicinis, quam maxime autem intestino recto adcreta, in latere dextro excrescentiis steatomatosis notata. Tunicae enormiter in-

crassatae in facie interna superne fibras musculares fere callosas, rete ex funibus quasi formatum repraesentantes monstrant. In latere dextro hujus faciei et prope collum excrescentiae fungosae foedissime exulceratae, coloris variegati, conspiciuntur. Prostata et vesiculae seminales, praecipue in latere dextro enormiter tumidae scirrhosae. Ureteres incrassati, simulque amplificati, renibus a tramite normali vix declinantibus. Ex viro ischuria chronica affecto, tabeque consumto.

Nro. LVIII.

Vesica urinaria calculo impleta a).

Vesica valde incrassata calculum magnitudinis ovi anserini, coloris albi, superficiei scabrae, ponderis unciarum duarum et semis continet, ureteribus valde incrassatis ac dilatatis.

---

a) *Ploucquet* a. a. O. art. calculus urinarius.
Sandifort Musaeum anat. B. II. T. 114. 115.
Camper Anmerk. aver de Veranderingen u. s. w. Amsterd. 1782.

Nro. DLXI.

Calculi urinales ex diverticulo vesicae.

Calculi hi numero 6, leves, coloris terrei, molles, quorum duobus dilapsis quatuor superstites variae magnitudinis, nucis avellanae, et minores, in diverticulo vesicae sub Nro. DLX. descriptae maximo inventi.

Nro. DLXVIII.

Calculi duo urinales ex vesica.

Calculi hi, coloris cinerei, quorum major verrucis asperis instructus, ovalis, magnitudine ovum gallinaceum, pondere uncias duas ac drachmam aequans; alter minor faseolo similis in fundo vesicae urinariae sub Nro. DLXVII. in capite renum jam allatae contenti fuere, verrucis vesicae quasi infixis.

Nro. CDV.

Calculus vesicae urinariae praegrandis.

Calculus hic magnitudine ovum anserinum excedens, superficiei scabrae,

coloris albicantis, formam scroti imitans, ponderis unciarum sex et semis,

Nro. CCXCIX.

Calculus vesicae praegrandis.

Magnitudinis et formae ovi gallinacei, coloris albidi, scaber, unciam unam et drachmas sex pondere aequans, felici cum eventu operatione excissus.

Nro. CXLIV.

Calculus vesicae ex puero excissus.

Calculus hic magnitudine ovum gallinaceum minorem aequans, scaber, albus, interne albissimus, pluribus lamellis calcareis involutus, unciam et sex drachmas pondere excedens. E juvene 14 annor. qui felici cum successu operatione hoc malo liberatus, 30. die post operationem sanus nosocomio valedixit.

Nro. LXXIX.

Calculus vesicae.

Hic ovo gallinaceo quidquam minor, figurae irregularis, glaber, politus, lamellis tenuissimis hinc inde incrustatus,

subflavus, uncias duas et totidem drachmas pondere aequans, ex cadavere viri, qui nunquam de vesicae doloribus conquestus est.

Nro. CDXXXI.

Calculus vesicae urinariae.

Oblongus, superficiei scabrae, profunde luteus hin cinde albus, ponderis unciae unius, ac drachm. duarum.

Nro. CXXIII.

Calculus post mortem excissus.

Magnitudinis ovi gallinacei, figurae fere triangularis, superficiei scabrae, porosus, canus, ponderis unciarum duarum.

Nro. CDLXXVI.

Calculus vesicae urinariae e puero excissus.

Subrotundus, magnitudine nucis juglandis majoris, tuberosus, crusta alba involutus, interne albissimus, unciam unam et semis pondere aequans.

Nro. CXCIX.

Calculus vesicae e juvene excissus.

Hic magnitudinis ovi columbini, reniformis, scaber, profunde flavus, drachmas sex et dimidiam pondere superans, e puero 9 annor. jam tertio aetatis anno doloribus vehementibus vexato, felici cum eventu excissus est.

Nro. CCCXCVIII.

Calculus vesicae e muliere excissus.

Crusta calcarea volumine nucis avellanae, superficiei scabrae, disfracta, externe e flavo fusca, interne albida nucleum formae nuclei cerasi albicantem, liberum continens, drachmam aequans.

Nro. LXXXIV.

Calculi vesicae.

Numero tres, quorum duo magnitudine nucem avellanam excedentes facies quatuor monstrant, tertius multo major, disciformis; omnes superficiei glabrae, coloris albescentis, unciam aequantes.

Unus illorum dissectus texturam refert lamellosam. Ex viro 49 annor. qui ischuria correptus obiit.

Nro. DXLI.

Calculi ex una vesica urinaria numero 13.

Omnes hi magnitudine nucis avellanae majoris et minoris, figurae irregularis, faciebus praediti pluribus glabris, colore flavi simulque variegati, drachmas septem aequantes, ex cadavere phthisici, qui non multum de vesicae affectione conquerebatur.

Nro. CXLI.

Hydatis hydatidem includens a).

Hydatis magnitudinis pomi, aliam minorem includens, in cavo pelveos collo vesicae adjacens, comprimendo hoc ischuriam chronicam viro induxit.

---

a) *Lüdersen* de hydatidibus S. 23.

Nro. CCXXX.

Vesicae per vaginam prolapsus a).

Tota vesica in vaginae prolapsu (utero ac ovariis ratione situs normalibus), inclusa, plane inversa, ita quidem, ut fundo inferiora versus directo, urethra perpendiculariter sursum pateat. Ex vetula ascite mortua.

Nro. CCIV.

Collum vesicae membrana divisum.

In viro, qui ischuria periit, repcriebatur vesica urinaria lotio corrupto plena, volumine ita adaucta, ut ad umbilicum pertingens, cavum pelveos non solum, sed et hypogastrium perfecte expleverit, reliquis visceribus normalibus.

---

a) *Horns* Archiv. f. d. m. Erfahr. 1810. B. I. H. I.

Levret observ. sur la cure radicale des polypes. Par. 1749.

Rose D. de vesicae urinariae inversae prolapsu. Götting. 1793.

Sybel Beschreib. einer merkwürd. und urspr. Mifsbild. der Urinblase. Brandenb. 1810.

fluidum contentum compressione vesicae per orificium glandis tarde effluens, tenacissimum, puriforme, et dissecta vesica, membranis hinc inde spuriis, sibi innatantibus scatens, conspiciebatur. Facies vesicae ac urethrae interna, excepta regione a fovea naviculari usque ad collum vesicae summe inflammata, sed nusquam exulcerata apparuit. Collum ipsum vero membrana, verosimiliter adnata, ac firma in duos quasi canales longitudinis linearum quatuor divisum patet, prostata, et vesiculis seminalibus valde tumidis: qua ex causa ergo nunquam applicatio catheteris fieri potuit. Viscera thoracis sanissima. Ventriculi cerebri autem aquam limpidam urinas manifeste redolentem unciae unius ac dimidiae circiter continuerunt.

Nro. CXCVII.

Fistula in collo vesicae.

In pariete posteriori colli vesicae, interne ulcusculis arrosae, foramen diametri pollicis dimidii in intestinum rectum ducens patet.

Nro. CCLXXVI.

Strictura urethrae.

Urethra in medio decursus sui quidquam coarctata. Ex viro febri nervosa defuncto.

Nro. CXXIV.

Calculus ex urethra foeminea excissus.

Hic ovo columbino major, figurae irregularis, tuberosus simulque scabèr, albus, drachmas quinque pondere aequans, felici cum eventu excissus est ex ancilla 26 annor. quae bis peperit, post partum secundum gravissimum, per dies quatuor durantem, doloribus saepe dirissimis cum mictu cruento excruciata auxilium petiit, in qua tunc malum per vaginam explorando haec et collum vesicae jam tubere calculi acuto perforata reperiebantur.

d. Morbi sexualium a) *virorum.*

α. Testiculi et funiculi spermatici, una cum scroto et tunica vaginali.

Nro. CDLXXXIV.

Hydrocele b).

Tunica vaginalis testiculi usque ad anulum, voluminis vesicae urinariae,

---

a) *Montagnana* Consil. de aegrotudinibus membrorum genitalium etc. n. 197. 59. v. Opp. Venet. 1565. Fol.

Vercelloni de pudendorum morbis. Lugd. Bat. 1722. 8.

b) *Haenel* D. de morbis scroti. Argent. 1723.

Pott chir. Bemerkungen. Berlin 1776. S. 56.

Richters chir. Biblioth. B. V. S. 130.

Pott Abhandl. vom Wasserbruche und andern Krankheiten der Hoden. Kopenhagen 1770.

Delonnes Abh. v. Wasserbrüchen. Schweinf. 1786.

Ploucquet lit. med. digest. Art. hydrops scroti.

Meifsner de hydrocele. Witeb. 1808. 4.

Eichhorn de hydrocele. Götting. 1809. c. tab. aen.

sero flavicante extensa, et extenuata ita, ut testiculus parum compressus transpareat.

Nro. XLV.

Hydrocele ingens.

Magnitudinem vesicae bovinae fere excedit, ad anulum tamen non pertigit; nec tunicae ejus incrassatae transparent. A viro 45 annor. phthisi consumto.

Nr. CCCLXXV.

Hydrocele radicaliter incisum.

Tyronum in gratiam adservatur.

B. G. Schreyer chir. Versuch. Nürnb. 1811.
Waitz D. de cirsocele. Götting. 1779.

Ad. Murray D. anat. chir. de cirsocele. Upsal 1785.

Nebel nosol. brutorum. S. 78.

Logger in naturkundige Verhandel. van de koningl. Moatschappy der Wetensch. te Harlem. Decl. V. St. II. 1812.

Nro. CCCLXXVI.

Sarcocele ingens a).

Testiculus una cum funiculo spermatico et tunicis suis lateris dextri volumine adeo adauctus, simulque in massam carnosam, compactam hinc inde fere cartilagineam degeneravit, ut libras fere quatuor excedat, testiculo altero normali, pene perexiguo.

Nro. LXXXVI.

Testiculus evanescens b).

Volumen testis ad illud fabae decrevit, epididymide vix imminuto. Ex maniaco sub Nro. LXXXV. de morbis durae matris jam allato.

---

a) *Heister* de hernia carnosa, vulgo sarcocele dicta. Helmst. 1754.

Wolf D. de sarcocele. Erlang. 1799.

Bell on the hydrocele, sarcocele etc. Edinb. 1794.

Nebel de nosologia brutorum. p. 78.

b) *Hunter* on the veneral disease. ch. XIII. p. 209.

Nro. CCLXXII.

Testiculus tabescens.

Testiculus dexter tabe volumine valde imminutus, genitalibus reliquis a statu normali non deflectentibus. A viro tricenario tabe consumto.

Nro. CDLXXI.

Tabes utriusque testiculi atque penis.

Testis uterque una cum epididymide fere ex integro tabe evanuit, corporibus simul cavernosis fere penitus consumtis. Penis crassitiem digiti vix attingit.

Nro. CDXXII.

Testiculus exulceratus a).

Pars tunicae vaginalis una cum parte adjacente testis ulcere consumta.

Nro. CXVII.

Testiculus fistulosus.

Vir 36 annor. phthisi laborans, ulcus ab anteriori scroti facie ad mediam us-

---

a) *Cavallini* Collezione di casi chirurgici. P. I. p. 128.

que testiculi substantiam, volumine valde adauctam, scirrhosam penetrans, margine calloso, inaequali cinctum, retulit.

Nro. CXVI.

Testiculus scirrhosus a).

Magnitudinis pugni, superficiei aequalis, durissimus, levis, ex viro 45 annor. qui febri nervosa obiit.

Nro. DXVIII.

Testis enormis in substantiam hydatidiformem degeneratus b).

Testiculus hic magnitudinem capitis infantis neonati excedens, superficiei aequalis, substantiam peculiariter degeneratam praebet; haec enim, alias scirrhosa

---

a) *Schotte* Phil Transact. 1785. Vol. 73. Part. I. p. 85.

Blumenbach med. Biblioth. B. II. S. 641. Tab. II. fig. I.

Baillie a. a. O. S. 206.

Wagner s. *Halleri* coll. disp. chir. Vol. V. p. 558.

b) *Lüdersen* de hydat. p. 24.

dicta, hic vesiculis innumeris exiguis intermixta, testem refert submollem. A viro, qui castratione hoc monstro infelici cum eventu liberatus est, de quo jam sub Nro. DXIX. in morbis glandularum locutus sum.

Nro. CCCXXX.

Testiculus inquine haerens a).

Testiculus sinister naturali longo minor ipsi anulo abdominali quasi intrusus detegitur. Ex viro quadragenario, qui non admodum ad concubitum proclivis ab uxore divortio separatus, hypochondria-

a) *Ploucquet* a. a. O. S. 155.

Rheinländer D. de situ testiculorum alieno. Argent. 1782.

Grandi Phil. Transact. Nro. 58. p. 1189.

Meckel Handb. d. path. Anat. Th. I. S. 691. et 693.

Arnaud Mem. de chir. P. I. p. 152. *Loder's* Journ. f. d. Chir. B. II. St. I. p. 187.

Hunter Bemerkung. aus d. thier. Oekon. Uebers S. 32.

cus ex pathematibus animi, tum febri nervosa subsequente periit.

Nro. CCCLXXXVIII.

Testiculus ad anulum haerens.

Fere idem casus ac prior.

β. Morbi vesicularum seminalium et γ. prostatae a).

Nro. XXIV.

Prostata suppurata.

In viro 45 annor. qui a longo jam tempore haemorrhoidibus coecis vexatus,

---

a) *Morgagni* Ep. XLIV. §. 7. vergl. §. 10. Ep. XXIV. §. 18. Ep. XLVI. §. 5.

Frank Interpr. clin. P. I. Tübing. 1812. S. 188. Tab. IV. Nro. 31. 4.

Comment. Lipsiens. Vol. XVII. p. 88.

Martin Recueil des act. de la Soc. de Santé de Lyon. P. I. p. 387. s. *Reils* Archiv. B. IV. S. 201 ff.

Mahon medicine legale et police medicale.

Sandifort Mus. anat. Vol. I. Sect. V. N roXLII. p. 257.

tunc ad radicem membri virilis dolore saeviente ac serius mictu cruento purulento ex cruciatus, apoplectice periit, deprehendebantur ureteres valde dilatati, vesica urinaria fluido cruento purulento referta, prostata enormis, dissecta materia purulenta cruenta scatens,

---

Stoll Heilungsmeth. B. I. S. 237.

Sömmering zu Baillie. S. 193. N. II.

Hartmann und *Mathaei* D. de calculis in vesica seminali. Francof. ad Viadr. 1765.

Hemmann med. chir. Aufs. Berl. 1778. Nro 3.

Sandifort Mus. anat. Vol. I. Sect. V. p. 257. Nro. XLII. Tab. CXIII. fig. 2. *Frank* interpr. clin. P. I. S. 293. Tab. V.

Home Phil. Transact. 1806. P. I. p. 195—204.

Ware Mem. of the med. Soc. of Lond. Vol. II. Nro. 30.

van Wy vermischte chir. Schriften p. 98.

Leske auserl. Abhandl. P. I. S. 59.

Morgagni Ep. VII. §. 11. et Ep. XLIV. §. 6. 19. 22.

Pohl und *Neigefeld* D. de prostatis calculo affectis. Lips. 1737. Baillie. S. 196.

ex integro fere exulcerata; vena cava et portarum valde amplificatis, ac sanguine atro turgentibus.

Nro. LXXXVII.

Vesica urinaria incrassata cum scirrho prostatae, qui ad lythotomiam seduxit.

Sutor 64 annor. vitae sedentariae adstrictus, febri tum nervosa, tum serius biliosa feliciter exantlatis, contagio syphilitico bis infectus est. Nimis cito, ac incaute malo venereo liberatus arthritidem contraxit, qua frequenter tunc lavoravit. Ab anno aetatis suae 51. sub mictu dolore notabili indies increscente vexatus, urinas nonnisi distendendo penem emittere potuit. His difficultatibus urinarum, ab initio intermittentibus, serius nec remittentibus accedebat dolor pressivus urens in regione pubis, praecipue ad perinaeum, nec sub situ corporis horizontali remittens. Doloribus dirissimis indies nunc increscentibus, distensio penis haud amplius ad urinarum guttulas quasdam pellendas sufficiebat; sed ad hoc praestandum, totum cor-

pus succutere debuit. Ultimo temporis spatio, conatu mingendi validissimo, una cum dolore dirissimo et anxietate excruciatus, tunc demum aliquot urinae guttulas, amoniam valde redolentis emittere potuit, si jactando pedes intestinum rectum derepente stercoribus liberatum fuerit, quod fere omni hora reiterandum erat. Cum plura phoenomena, ipsaque exploratio cum cathetere praesentiam corporis cujusdam duri in vesica contenti comprobarint, et mors inevitabilis imminuerit; lithotomia infausto omine proposita, ac eo cum eventu instituta est, ut gangraena ac mors mox subsequeretur.

In cadavere dissecto loco calculi deprachenditur excrescentia magnitudinem nucis juglandis excedens, subdura, membrana vesicae interna obducta, ante prostatam ad corpus trigonum vesicae firmiter insidens, collum ejusdem obturans, substantiam glandulae scirrhosae referens, prostata simul ac vesiculis seminalibus valde tumefactis, duris. Vesica ipsa solito major tunicas (praecipue muscularem) valde in-

crassatas exhibens fluido ichoroso livido scatuit.

Nro. CLVI.

Prostata indurata ingens.

Pistor 68 annor. debilis emaciatus, qui nuper modo de stranguria, mox in ischuriam veram versa conquestus, hac per spatium 18 dierum, caeteris functionibus vix laesis, laborabat, derepente, ischuria desinente, quantitatem urinae solito majorem sine difficultate excernit. Sic summe debilis, symptomatibus tamen morbosis vix molestatus, octava abhinc die vitam exspirat, et dissectus vesicam urinariam volumine enormiter auctam, cum intestino recto et peritonaeo intime concretam, urinis ichorosis plenam, tunicas ejus incrassatas marcidas, ac tandem excrescentiam ad eundem locum refert, ut in casu praecedenti obvenit, priori nonnisi quidquam molliorem, steatomati similem (unde fors facilior urinae transitus concipi posset), prostata enormiter tumida, indurata.

Nro. CLXXXII.

Tumor prostatae in vesicam protuberans.

Prostata una cum vesiculis seminalibus valde tumefacta, dura, in facie interna ad collum vesicae valde dilatatae ac incrassatae lateris dextri tumorem magnitudinem nucis juglandis excedentem durissimum refert. Ex sene 78 annor. qui ischuria perpetua septem jam annos laborans, ex haemorrhagia penis, inepta catheteris applicatione inducta, periit.

δ. Corporum cavernosor a).

Nro. CDLX.

Corpora cavernosa penis consumta.

Haec volumine per totum decursum adeo imminuta, ut membranam corrugatam, taeniolam fere repraesentent.

---

a) *Brockhausen* D. de excretionis urin. impedimentis a vitiis membri virilis. Argent. 1781. S. Samml. für W. A. St. XVI. S. 219.

Thaut D. de virgae virilis statu sano et morboso. etc. Würzb. 1808. gr. 8. c. tab. aen. Deutsch. mit Anmerk. und Zusätz. v. *Eyerel*. Wien 1813.

e. *Morbi sexualium mulierum.*

α. Uteri et vaginae a).

Nro LXX.

Uterus gravidus.

Hic sectione caesarea fissus, placentam collo suo affixam, vasaque funiculi

---

Meckel D. de ulceribus virgae. Halae. 1790.

Albinus Annot academ. L. III. c. 5. *Bertrandi* opera etc.

Schneider chir. Geschichte. Th. IX. Bulletin de l'ecole de Medec. de Paris. 1808. p. 4.

Eph. N. C. Dec. II. Ann. V. App. p. 71. Paulini Cent. I. obs. 72.

Trye in medic. Communications. Vol. II. Nro. 17.

Vicq d'Azyr Hist. de l'acad. de Med. 1780 — 81.

a) *Campolongus* de affectibus uteri. Paris 1634. 4.

Praevot de morbis. uteri passionibus. Patav. 1667.

Vater Diss. de morbos uteri. Witeb. 1709.

Haller Pr. de morbis uteri variis observationes. Götting. 1753.

Duisberg D. physiologia et pathologia uteri Halae 1790.

Schwarz D. do uteri degeneratione. Jen. 1792.

umbilicalis massa cerea injecta referens, exsiccatus, ex foemina 38 annor. cui nono graviditatis mense asphyxia correptae sectio caesarea institui debuit, desumtus est.

Nro. CDLXXXVIII.

Uterus sectione caesarea fissus exempto e matre vivente vivo foetu.

Uterus ex foemina pumilla sub Nro. CDXCI. in morbis ossium jam allata,

---

Georgiades D. de morbis uteri secundum librum Hippocratis περι γυναικειης φυσιος. Jen. 1797.

Akakia de morbis mulier. B. I. cap. 15.

Storch Weiberkrankheiten T. I.

Steidele Samml. merkw. Beob. von einer d. Geburt zerrissenen Gebährmutter. Wien 1774. B. III.

Ploucquet a. a. O. Art. vaginae ruptura.

Graaf de mulier. organ. cap. VII.

Köhler Beschreibung. der *Loderschen* Praeparatensamml. B. I. S. 193. Nro. 785. u. a. m.

Petit Traité des maladies chirurgicales. P. III. p. 108.

Walter Anat. Mus. B. I. S. 162.

quae foetu vivo, ob deformitatem pelveos, per sectionem caesaream exempto, tertia post operationem die gangraena obiit, pro parte jam contractus apparet.

Nro. VIII.

Uterus inflammatus.

Uterus volumine auctus, dissectus substantiam solito molliorem exhibens. Ex puerpera, jam dudum hemiplegia lateris sinistri affecta, altera post partum die mortua.

Nro. IX.

Uterus gangraenosus a).

Volumine solito major dissectus, marcidus, ex puerpera.

Nro. XLVII.

Uterus tuberculosus.

Volumine hic non multum adauctus, durus, superficiei quidquam tuberosae. Ex

a) Boer Abh. und Versuche geburtshülfl. Inhalts. B. III. Nro. 5.

foemina, hepate tuberculoso quoque praedita (sub Nro. XLVI. jam allata), quae ictero ac vomitu frequentiori indomabili vexata, tabe periit.

Nro. XLI.

Scirrhus uteri a).

Uterus una cum collo oreque suo massa scirrhosa dura fartus, dissectus, magnitudinem capitis infantis neonati exhibens, tubis incrassatis, ovariis fere normalibus.

Nro. CXC.

Scirrhus uteri durissimus.

Uterus in glomum praegrandem tuberosum durissimum cum cavitate perexigua mutatus, tubis et ovariis normalibus.

Nro. CCXXIII.

Cancer uteri occultus.

Uterus volumine quadruplo solito major, durissimus, ad superficiem verru-

---

a) *Röderer* de scirrho uteri. Götting. 1754.

Commentatio de uteri scirrho. Götting. 1756.

Gassmann D. de scirrho uteri. Argent. 1758.

cis variae magnitudinis hinc inde obsitus, quarum maxima fundo insidens nucem juglandis volumine longe superat. Ex muliere quinquagenaria, quae simili mammae degeneratione affecta febri nervosa periit.

Nro. CCCXXXIII.

Cancer uteri ad vesicam propagatus.

Pars inferior uteri praegrandis scirrhosi una cum vagina cancro foedissime devastata; in pariete vesicae urinariae posteriori vaginae confini, tumor nucis juglandis magnitudinem excedens, in cavum vesicae incrassatae protuberans, exulceratus conspicitur. Ex muliere 32 annor. hoc malo per tres jam annos excruciata.

Nro. CCCXXIX.

Vagina cancro affecta.

Pars vaginae superior una cum ore ac cervice uteri ulcere cancroso foedissime destructa. Ex foemina quinquagenaria, quae lumbagine chronica excruciata sensim contabuit.

Nro. CLIX.

Excrescentia uteri.

Massa enormis, figurae irregularis, pondus librarum trium excedens uterum versus tuberosa, hinc inde ad attactum plus minusve compacta, nonnullis in locis fluido quodam pultiformi referta, utero vix non normali in parte posteriori membranae crassae ope firmissime adhaerens, cum ovariis ac tubis normalibus hinc inde membranulis priori longioribus cohaerens.

Nro. XCIII.

Steatomata uterum ambientia a).

Uterus volumine quidquam adauctus, tuberis pluribus variae magnitudinis, pomo majòribus, minoribusque steatomatosis cinctus, libras minimum tres pondere aequans, tubis ac ovariis fere normalibus.

---

a) *Tacke* Misc. N. C. Dec. III. Ann. VII et VIII. obs. 152. p. 274. *Morgagni* Ep. 38. §. 54.

Nro. CCCXXII.

Steatoma uteri discissum.

Uterus foeminae hystericae, ascite mortuae in massam enormem, librarum circiter quinque, tenacem, homogeneam, strumae non absimilem mutatus.

Nro. CCXXXVI.

Polypus uteri. a).

Hic pollices duos longus, figurae ovalis, substantiae compactioris, in superficie interna lateri sinistro colli uteri propagationibus suis inhaerens, corpore ex ore uteri in vaginam prominens, ligatura felici cum eventu amotus est. Ex muliere 39 annor. matre prolium 9, cui larga protracte semper fluxerunt men-

a) *Walter* Annat. acad. Berol. 1786. p. 106.

Nissen D. de polypis uteri et vaginae etc. Götting. 1789.

Heinze D. de ortu et discrimine polyporum praecipue polyporum uteri. Jen. 179?.

Rothbart de polypis uteri. Erford. 1795.

Dörry D. de polypor. uteri patholog. Erford. 1800.

strua: sed partu ultimo difficillime manu obstetricis absoluto, fluxus menstrualis multo parcior, tandemque prorsus evanuit. Ab hoc tempore doloribus saepius ad hypogastrium ac lumbos, tenesmo, dysuria vexata, forti animi pathemate percutitur, ac subito metrorrhagiam cum cordis palpitatione, susurru aurium, et lipothymia frequenti patitur profusam (auxiliis omnibus incassum adhibitis) ad exstirpationem polypi usque perdurantem.

Nro. CDXLVII.

Polypus uteri.

Membranaceus, pollices tres longus, dimidium crassus.

Nro. CDLXIII.

Polypus uteri.

Pyriformis, pollices tres longus, substantiae fungosae.

Nro. CCCXXIII.

Polypus uteri ingens in situ.

Massa fungosa pomum majorem aequans, ori uteri permagni, substantia

valde compacti, insidens, in vaginam prominens, aditum in cavum uteri perfecte obturans.

Nro. CDXV.

Polypus uteri carcinomatosus.

Polypus hic fungum majorem perfecte repraesentat, cujus truncus brevis crassusque insidet labio oris uteri anteriori valde incrassato, pileus dilatatus, tuberosus, hinc inde foedissime exulceratus deorsum in vaginam spectat.

Nro LX.

Uterus osteosteatomate repletus a).

Uterus volumine ac specie uterum sexto mense gravidum aequans, substan-

---

a) *Sömmerring* zu *Baillie*. S. 219. not. 462.

Malacarne Auctuar. observat. et iconum ad osteopathologiam *Ludwigii* et *Scarpae*. Patav. 1801. Tab. 2.

Mayer Commerc. lit. Nor. 1730. Spec. XXX.

Foberi Journ. de Medec. 1759. Octobr. P. XI. p. 336.

tiae induratae, caeterum normalis, massa compacta, dura, hinc inde praecipue in medio ossea, imo et calcarea perfecte fartus, ita quidem, ut sub difficili incisione hujus massae culter stridulum edens sonum penetrare haud possit, ac degeneratio haec illi glandularum terra calcarea refertarum ex integro analoga videatur; tubis quidquam incrassatis, ovariis normalibus. Pondus totius libras minimum duodecim aequat. Ex vetula 74 annor. quae hanc molem triginta per annos absque ulla molestia, illa ponderis excepta, gestavit.

Mohrenheim Wiener Beytr. B. II; S. 224.

Mackin Phys. med. Journ. 1801. Nov. S. 870.

Mem. de l'acad. de chir. II. p. 143.

Lieutand hist. anat. med. P. I. p. 402.

Caldani Memor. di matem. e di fisica d. S. J. d. Sc. T. XII. P. II Modena 1806. s. *Harles* Journ. d. ausl. m. chir. Lit. B. X. St. II.

Nro. XVI.

Mola hydatidiformis a).

Vesica magnitudine caput infantis neonati aequans, membrana constans

---

a) *Schmidt* de concrementis uteri. Basil. 1750—5.
Haller D. Pr. IV. Nro. 145.
Francus D. de mola. Heidelb. 1780.
Perolle s. *Fourcroy* Medicine éclairée. Par. 1792. Vol. IV.
Büchner D. Generatio molarum uteri etc. Halae 1760.
Friederici D. de mola. Jen. 1770.
Fabricius von Hilden observ. Cent. V. obs. 49.
Commerc. liter. Nor. 1731. p. 238.
Vicq. d'Azyr Mem. de l'acad. des sc. 1776.
Leske auserl. Abh. B. I. e. 239.
Walter annat. acad. Berol. 1786.
Schacher de uteri atheromate piloso. Lips. 1755. c. tab. aen.
Böhmer observ. anat. rar. Fasc. II. obs. II. p. 13. Tab. I. fig. 1—4.
Sandifort Mus. anat. Vol. I. p. 275. Tab. CX. fig. 3—5.
Odier in mem. de l'Inst. anat. 1806

crassa, maxima pro parte fluido viscido referta, in facie interna particulam ossis cujusdam cranii longitudine pollices duos, latitudine unum excedentem, membranae adhaerentem, et diverticula plura sepimentis crassis a se invicem refert separata, quorum unum penitus clausum adipem subfluidum; alterum etiam clausum pilos sat longos eidem adipi intermixtos continet. Mola haec lateri sinistro coli uteri inhaerens, os uteri dilatatum plane obturans mulieri 28 annor. primiparae partum produxit difficillimum: hac vero ablata, felici cum eventu puerum peperit sanissimum.

Nro. CIV.

Prolapsus uteri a).

Uterus permagnus, oblongus, scirrhosus, cavitate tamen normali, una

---

a) *Troschel* D. de morbis ex situ alieno uteri in quacunque foeminali epocha. Prag. 1760.
Ploucquet a. a. O. Art. uteri procidentia.
Ejusd. a. a. O. Art. uteri inversio.

cum vesica urinaria in vagina valde amplificata, simulque prolapsa contentus pollices septem extra vulvam pendulus, ita, ut in parte inferiori enormiter incrassata, os uteri amplissime pateat.

Nro. CCX.

Prolapsus uteri completus.

Uterus praegrandis scirrhosus vagina valde dilatata, simulque prolapsa plane inclusus tumorem ante vulvam repraesentat enormem, in cujus apice os uteri patet, ovariis ac vesica urinaria in cavo pelveos relictis. Ex sexagenaria ictero, mortua.

Bays selange D. sur les reversement de l'uterus. Paris An. VII.

Camper Abh. v. d. Krankh. d. sowohl d. Menschen als d. Thieren eigen sind. S. 19.

Schacher D. de prolapsu vaginae uteri. Lips. 1725.

Ströhlin D. de vaginae relaxatione, prolapsu, et inversione uteri. Argent. 1749.

Loder Progr. III. de vaginae uteri procidentia. Jen. 1781.

Richters Anfangsgr. d. W. Ar. B. I. §. 645. S. 48.

Nro. CCCLVII.

Prolapsus vaginae uterum includens.

Vagina pro parte prolapsa, uterum, relictis ovariis, induratum continens, ante vulvam tumorem refert pugniformem.

Nro. DXLVI.

Prolapsus vaginae vesicam includens, et scirrhus uteri.

Vagina pro maxima parte prolapsa vesicam urinariam plenam includens tumorem ante vulvam format praegrandem: uterus vero in pariete anteriori, posteriori intacta, scirrhum enormem perdurum exhibens, illis incubans mole sua prolapsum illarum induxisse videtur. Ex tabida.

β. Morbi tubarum. γ. Ovariorum a).

Nro. XLIII.

Ovaria cum tubis concreta.

In foemina emenagogis incaute tractata, ac tandem enteritide mortua, ute-

---

a) *Leonhardi* Progr. quaedam de tubarum uterinarum morbis. Viteb. 1808.

rus volumine solito major, scirrhosus, tubae valde incrassatae fere callosae fimbriarum ope cum ovariis tumidis ac subduris intime concretae reperiebantur.

L'Aumonier in Hist. de la Soc. R. de Medec. 1782 und 83. p. 296.

de Haen Rat. medendi. T. VI. p. 38. 39.

Cyprianus Epist hist. exhib. foetus ex tuba excissi. Lugd. B. 1700.

Lüdersen de hydatidibus. p. 26.

Seidel D. de tumore tubae Fallop. dextrae feliciter curato. Viteb. 1788.

Horn neues Archiv. f. d. med. Erfahr. B. III. Nro. 2.

Neue Samml. med. Wahrnehmungen B. IX. p. 45.

Walter anat. Mus. B. I. S. 158.

Gazette salutaire de Bouillon. 1777. p. 22.

Fritze de conceptione tubaria. Argentoration. 1779.

Corvinus D. de concept. tub. Argent. 1780.

Christ D. de conceptione tubaria. Marb. 1802.

Krüger D. pathologia ovariorum muliebr. Götting. 1782.

Nro. CCXXVIII.

Ovarium exculceratum a).

Ovarium dextrum volumine enormiter adauctum, substantia suppuratione plane exesa, cavitatem amplissimam, parietibus valde incrassatis ac erosis cinctam, sepimentis in cavitates minores monstrat subdivisam, quae fluido ichoroso consistentia et colore Dtum cort. peruvian. aequante scatuit, utero adjacente sano. Ex quinquagenaria, quae longo a tempore jam hydrope ovarii laborasse credebatur tractu temporis autem abscessus sub umbilico formatus in ovarium ducens, facta hic loci incisione, magnam quantitatem puris ichorosi fundebat.

---

a) *Motz* D. de structura, usu, et morbis ovariorum. Jen. 1789.

Sidren D. casus sphaceli ovarii. Ups. 1768.

Wendelstädt in *Wolfarts* Asclaepieion. 1812 Jun.

Nro. CCCXCIX.

Steatoma ovarii sinistri a).

Ovarium hoc in massam enormem, librarum circiter septem tuberosam, pro parte scirrhosam, maxima parte autem steotomati similem degeneravit.

Nro. CCXCVI.

Steatoma utriusque ovarii.

Ambo ovaria in massam tuberosam, pastaceam, hinc inde compactam commutata; dextrum magnitudinem ovi gallinacei excedit; sinistrum caput infantis neonati volumine aequat, utero normali, tubis quidquam induratis. Ex foemina 52 annorum hysterica, ascite enecata.

Nro. DXLVIII.

Ovaria vesiculosa, tubae callosae.

Foemina 40 circiter annor, quae caeleps unquam peperisse pertinaciter ne-

---

a) Fontaine observ. rar. tumor. abdom. ex scirrho ovariorum praesertim sinistri insigni. Basil. 1753. Hist. de l'acad. des sc. 1707. obs. IV.

gavit, sed tamen proles novem edidit, atque ascitica tabe periit, dissecta pancreas una cum glandulis meseraicis in unam massam praegrandem scirrhosam, cum vesica fellea et ventriculo intime concretam retulit degeneratum; ovaria in massam magnitudinis pomi minoris vesiculosam commutata, racemos formantia, ita quidem, ut vesiculae cujusvis ovarii singulae fluido varie colorato turgentes, uvas coloris varii, flavi, viridis, rubri, violacei etc., majores minoresque, e pedunculo quasi arcte pendentes elegantissime repraesentarint. Tubae incrassatae callosae fimbrias ejusdem degenerationis, ac ovaria, uvaeformes oculis praebent, utero normali.

Nro. CXLVI.

Hydrops ovarii hydatidiformis.

Ovarium sinistrum molem praegrandem librarum circiter duarum, ex vesiculis diversae magnitudinis fluido viscido turgentibus, et substantia steatomatosa hinc inde intermixta compositam exhibet; tuba ejusdem lateris incrassata,

utero normali majori. Ex muliere 42 annor. summe cachectica, obstructionibus glandularum affecta meseraicarum, tandemque tabe consumta.

Nro. XVII.

Muliebria interna degenerata a).

Ovaria hydrope extensa (dextrum volumen capitis infantis neonati attingens, sinistrum illud capitis adulti fere excedens) ambo superficiei inaequalis, cavitates plures, sepimentis crassis fere scirrhosis distinctas, fluidis lutulentis viscosis plenas ostendunt, tubis callosis, utero perexiguo duro. Ex foemina sterili 56 annor. quae saepius spasmis ac flatulentia intesninorum, doloribus ventris

---

a) *Murray* Progr. de hydrope ovarii. Upsal. 1780.
Van Rossum D. de hydrope ovariorum. Lovan. 1782.
Walter Nouv. Mem. de l'acad. des sc. a. Berl. 1786.
Berends D. de hydrope ovariorum, ac tubarum Fallop. Francof. 1805.

artuumque vagis, atque catameniis fere semper impetuose cum dolore ac tensione in hypogastrio profluentibus vexata, ab eo tempore, quo haeç supprimebantur, de symptomatibus illis indies auctis conquerebatur. Oppressione pectoris gravi, intumescentia abdominis dolorifica, nisu mingendi valido, vomitu continuo, oedemate faciei ac pedum, et debilitate maxima excruciata tandem contabuit, et cadaver ejus dissectum praeter conditionem hanc morbosam muliebrium, illam quoque omenti sub Nro. XVIII. et intestinorum sub Nro. IV. jam allatam retulit.

Nro. CXLVII.

Hydrops ovarii duplex.

Ambo ovaria volumine enormiter adaucta (sed sinistrum dextro majus) in superficie inaequali vesiculis lucidis hinc inde obsita, sepimentis in cavitates plures subdivisa, maxima fluidi viscidi quantitate turgentia, cavum hypogastricum ac pelveos perfecte explevere foeminae quadragenariae, quae 36. aetatis anno

menstruis privata, semper inde aegrotabat et convulsionibus, saepius correpta, tandem sub tali paroxysmo obibat, tubis ac utero fere normalibus.

Nro. CDLXXXI.

Hydrops ovarii.

Ovarium sinistrum hydrope ad diametrum pollicum septem, omni substantia una cum sepimentis devastata, extensum.

Nro. CXXX.

Hydrops ovarii ingens.

In foemina 58 annor. quae ascite, ut videbatur, laborans, paracenthesi incassum instituta, periit, ovarium sinistrum in volumen enorme extensum, non solum cavum pelveos, sed et abdominis universum occupans, et cum peritonaeo anteriori adeo concretum reperiebatur, ut punctura in cavum ovarii penetrare debuerit.

Nro. CCC.

Ovarium hydrope enormiter expansum.

Monstrum hoc omnino stupendum ovarium sistit sinistrum. Enormes prostant ovariorum, ac aliorum quoque organorum metamorphoses, sed haec regina omnium. Exsiccatum adservatur, ut quivis diametrum in omni fere dimensione pedum vix non duorum admirari queat. Ob horrendam organi hujus desorganisationem mihi liceat plura hoc de casu referre.

Obstetrix 47 annor. corporis gracilis, proles quatuordecim feliciter enixa. Ultimo partu aeque feliciter quidem absoluto, sed lecto nimis cito relicto, ac diaeta lauta fruita, dolore mox abdominis vehementi una cum vomitu frequenti corripiebatur. Sub tensione magna ad lumbos, ac ossa pubis, lochia cessant; febris accedit; pedes torpent; difficultas mingendi insequitur. Therapia rite adhibita symptomata haec quidem evane-

scunt, sed lochia non revertunt; aliqua tensio ac durities in abdomine remanet. Anorexia serius ac subinde animi deliquiis vexata, gravidam se putat. Nono vero mense elapso, decepta, auxilium petit medicum sed incassum. Cum malo hoc tum indies increscente ultra sex annos ambulat, donec abdomen ad genua usque dependeat. Alvo indies magis adstricta, haemorrhoides nascuntur permagnae, anum circacircum obsidentes; purgantibus non amplius movetur alvus, sed tantum clysmatibus. Sic annum vitae ultimum domi transigit, pedibus tumidis. A sex septimanis nunc omnibus in pejus ruentibus, adhuc superaccedunt lipothymiae crebriores, vertigo, respiratio celeris, anxia, brevis, anhelosa; dolores lumborum vehementes; color cutis luteus, sordidus; virium prostratio; sedendo augentur respirationis symptomata, et imminet suffocationis periculum. Hisce miseriis pessime excruciata, sortis suae perfecte conscia animam exspirat. Abdomen enormiter extensum, visceribus omnibus compressis, aut ex situ normali

remotis, *sinistro* solum *ovario* enormi, partibus vicinis plus minusve adcreto perfecte expletum, mensuras insuper tres aquae foetidae rubrae continebat; utero ac ovario dextro sanis, sed e situ locatis. Fluidum lutulentum foetidum in cavo enormi, ac sepimentis pluribus inter sese communicantibus ovarii contentum ad mensuras viginti tres aestimatum. Parietes crassitiei variae hic tenues ac transparentes fere, hic ad unum, imo et duos pollices crassae, plures abscessus magna materiae puriformis copia plenos monstrabant *).

*) Casus similes ejusdem enormitatis duo mihi jam obvenere: In primo ovarium sinistrum praeter hanc enormem extensionem adhuc cancro uteri, huc propagato, pro parte devastatum fuit; in altero ovarium ejusdem lateris, ac voluminis, parietes crassas, circacircum cavitatibus magnitudinis pomi instructas retulit, quae varia materia, fluida, pultacea, lardacea, etc. quam maxime destructa scatuere.

Nro. CCLXXI.

Ovarium pilos generans a).

In muliere, quae a longo jam tempore tumore ovarii sinistri affecta, ex gravi inflammatione viscerum, post paracentesin factam suborta, obiit, conspicere licuit cavum abdominis materia puriforme pinguedine remixta plenum; ovarium sinistrum in unam caveam amplissimam extensum, pro parte collapsum, pro parte autem materia pingui, pilis plurimis remixta refertum. Faciem internam maxima pro parte membranula obduxit alba, tenerrima, epidermidi similis, qua abrasa, vasa sanguinea comparuerunt copiosissima, adeo turgentia, ut cum va-

a) *Haller* Elem. Physiol. T. VIII. p. 46.

Blumenbach de nisu formativo et generationes negotio. Götting. 1787. 4.

Ploucquet lit. med. digest. T. III. p. 254. 255.

Ejusdem D. sist. memorabile physconiae ovaricae, nec non osteogeniae et odontogeniae anomalae exemplum. Tübing. 1798

Götting'sches Taschenbuch v. J. 1796.

sis placentae comparari potuerint. Pili, alii liberi, materia pingui intermixti, alii superficiei internae firmiter adhaerentes, substantiae vasculosae bulbo suo infixi. Ovarium dextrum normale cum tuba et partibus vicinis concretum. Uterus normalis, collo naturali multo longiori donatus cavitatem materia purulenta repletam praebuit. Tubae prope uterum lumine praeditae, caeterum concretae *).

Nro. CCLXX.

Pili ex avario desumti.

Quantitas eorum sat magna ex ovario mox descripto **).

---

*) Observationem a pluribus medicis a) jam factam, ovarium videlicet sinistrum hydrope, aliisque organicis malis saepius ac gravius dextro affici, et ego non solum in enumeratis his casibus, sed ubique adhuc confirmatam vidi. Fors pressio vicini S romani ac intestini recti ad hocce phoenomenon suam contribuit symbolam?

a) *Frank* de retentionibus. P. I. und auch sein Recensent in der Leipzig. Lit. Zeit. 1811. St. 70.

**) Omnium rarissimum ejusmodi degenerationis

δ. Morbi placentae et funiculi umbilicalis.

Nro. CXV.

Placenta utero adhaerens.

Placenta parieti posteriori uteri jam quidquam contracti adeo firmiter adhaeret, ut sine vi maxima vix ab illa separari posset. Caeterum etiam vasa funiculi ac placentae anatomice injecta apparent. Ex

---

ovarii casum deprehensi, praesente praeclaro Dno. Professore pragensi *Ilg.* in virgine nobili 26 annor. quae primo morbi anno, abdomine successive increscente, gravida putata, (licet id assiduo negaret), reliquis autem duobus miserae adhuc perstantis vitae annis, volumine ventris indies magis adaucto asciteque accedente, illa suspicione quidem libera, sed morbo stricto in sensu incognito laborans, tabe tandem periit. Abdomen enorme dissectum immensam seri fusci foetentis quantitatem effudit. Viscera fere omnia inter se concreta, vix non macerata fuere. Prope lienem massa haesit caput infantis neonati excedens subdura, pro parte exulceratione destructa, pilos plures perlongos, sic et dentes perfecte formatos innumeros, particulis osseis hinc inde infixos, adipi purissimo

foemina quinto mense gravida, quae brevi post partum febri nervosa obiit.

Nro. CCLXI.

Funiculus umbilicalis longissimus.

Hic pedes quinque et pollices tres longus, valde crassus, cum placenta, molem naturalem non excedente infanti adhaerebat praegrandi, qui libras viginti septem pondere aequasse dicitur.

---

immersos continens, chaos tali ratione repraesentans mirificum. Ad lumbos alia cum priori cohaerens, ejusdem magnitudinis ac formae moles sita, ab extus minus destructa, easdem materias, dentes vero nonnisi pro parte formatos continuit. Tertia prioribus similis massa secundae denuo adhaerens, integerrima, ejusdem qualitatis, ac priores, et connisi dentium rudimenta, alveolis adhuc inclusa continens cavum pelveos occupavit. Uterus ac ovarium dextrum una cum tubis normalia, in statu virginitatis; in loco autem, quem ovarium sinistrum inhabitat, nec vestigium ovarii; sed tantum exulceratio praegressa deprehendi potuit. Omnes tres moles libras circiter quinque aequantes, in Musaeo Academiae med. chirurg. Jos. cum delineatione adservantur.

ζ. Morbi foetus a).

Nro, CCLVII.

Variolae congenitae.

Infans neonatus paulo post partum mortuus, variolis jamjam exsiccatis hinc inde obsitus. A matre toto graviditatis tempore ad ultimum usque mensem sana, quo autem causae inscia, aegrotare coepit, et ad partum usque aegrotabat, quem absque difficultate magna non obsolvebat.

---

a) *Hoffmann* D. de morbis foetuum in utero materno Hal. 1702.

Valentini D. de morbis embryonum etc. Giessae 1704.

Hoogeveen Tr. de foetus humani morbis. Leid. 1734.

Bose D. de morbo foetus ejusque diagnosi. Lips. 1785.

Gruner D. morbi hominum a prima conformatione usque ad partum. Jen. 1792.

Ploucquet D. de laesionibus mechanicis, simulacrisque laesionum foetui in utero contento accidentibus. etc. Tub. 1794.

Derselbe lit. med. digest. T. II. S. 185. ff.

Interrogata, an variolas perpessa sit' hoc nescire asseruit.

Nro. CDXCII.

Syphilis congenita.

Puella ab ancilla malo syphilitico affecta nata, in tota corporis superficie fere, praecipue autem in facie, dorso, abdomine, et extremitatibus pustulis foedissimis lividis hinc inde exulceratis, mox foetentibus obsita, septima jam die post partum in putredinem vergens obiit; quae putredo, licet brevi post mortem spiritui vini rectificatissimo immersus fuerit infans, neque mutato saepius spiritu coërceri potuit.

Nro. CCLXXX.

Elephantiasis congenita.

Puerulus quatuor mensium, cujus epidermis una cum reti Malpighi per universam fere corporis superficiem (parte faciei, brachio dextro, et cruribus exceptis, quae maculis tantum verrucosis hinc inde obsita sunt) in crustam plus

minusve crassam, quam maxime in dorso, axillis et abdomine verrucosam, nigricantem hirsutam degenerata conspicitur, a matre natus sanissima, quae tempore graviditatis acervum plurium bestiarum mactatarum magno cum fastidio conspexerat. An exinde haec cutis commutatio? Bestiae utique similior quam homini apparet puer.

Nro. I.

Hydrocephalus internus.

Infans cum cranio enormi hydrope extenso matrem primiparam enecasset; nisi, punctura facta, aquae mensurarum trium fuissent evacuatae.

Nro. CDVII.

Spina bifida ad os sacrum.

Infans cum hydrocephalo brevi post partum mortuus exemplum spinae bifidae hoc elegans ad partem ossis sacri superiorem refert. Tumor ex tegumentis communibus formatus saccum magnitudinis pomi repraesentat, qui (uti in aliis exem-

plis hujus modi visitatis conspexeram) porocessibus spinosis ossis sacri divisis, dura matre dilatata in facie interna quasi obductus, sero plenus est limpido, cui medulla, membranulis reliquis fere dissolutis, libera quasi innatat.

Nro. CXLIX.

Foetus in utero tabescens.

Foetus quinti circiter mensis volumine adeo imminutus, ut ossicula pelle tenuissima appareant tecta. Ex muliere 38 annor. scirrho pylori affecta, quem, via ex ventriculo in intestina omni fere obstructa, tabes insequi debuit. Intestina tenuia crassitie digitum minimum fere aequarunt.

Nro. CCCXXXV.

Quadrigemini in utero degenerati.

Partus praematurus foetum septimi mensis circiter integrum, sed emaciatum cum funiculo umbilicali, primo intuitu variis tuberculis steatomatosis instructo.

praebet: Tuberculis his autem accuratius examinatis, elucet; in uno pedes duos, in altero unam manum, in tertio capitis formam separatim repraesentari, et tali ratione hos tres foetus nisu formativo ex quacumque causa turbato, in massam inorganicam degenerasse.

Nro. XXVIII.

Foetus abdominalis a).

De specimine hoc profecto raro nec verbum prostat, et tantum indagatione anatomica qualitates ejus magno cum labore detegi.

---

a) *Weinknecht* D. de conceptione extrauterina. Halae. 1791.

Deutsch D. de graviditate abdominali. Halae. 1792.

Josephi über die Schwangerschaft aufserhalb der Gebährmutter u. s. w. Rostock. 1803.

Heim Erfahr. und Bemerk. über Schwangerschaften aufserhalb der Gebährmutter. Berlin. 1812.

Foetus magnitudine infantem neonatum minorem aequans, ita incurvatus et quasi convolutus, ut glomum ab utero separatum referat, ac facies manibus pedibusque obtecta vix sit conspicua. Caput membranula, pilis firmiter adhaerente obductum, qui pili, membranula semota, sat longi in conspectum prodeunt.

Funiculus umbilicalis tenuissimus, praecipue deorsum, longitudine pedem vix superans intestinum rectum petit. Huic in transitu membranularum ope adhaerens, ad tubam progreditur dextram, in cujus vicinia inter laminas ligamenti lati ad uterum perexiguum, in statu virginitatis deprehensum, venit, cui una cum tuba se inserit. An tum in cavitatem uteri ipsam penetret, an solum in substantiam ejus dispertatur, ob partes jam spiritu vini nimis corrugatas eruere non potui; de placenta enim nec vestigium, nec locus, cui

---

Horns Archiv für d. med. Erfahr. 1812. Jan. u. Febr. S. 1.

Ploucquet a. a. O. foetus abdominalis.

adhaerere potuisset, adest a). Tubae normales: sed ovaria absunt, quorum loco inter laminas ligamenti lati massa una magnitudinem capitis infantis neonati excedens, substantia uberibus similis retro uterum conspicitur.

---

a) *Henkel* neue med. und chirurg. Anmerkungen. 2te Samml. 1772.

II. Deformitates et monstra a).

A). Magnitudo vitiosa.

1. Nimis aucta.

Nro. CDXXXIII.

Linguae praelongae portio abscissa.

Mulieri, quae ob nimiam linguae longitudinem loqui non potuit, pars anterior

---

a) *Schenk* historia memorabilis. Frank. 1609.
Aldrovandi Monstror. historia cum paralipomenis. Bonon. 1642.
Bartholin de monstris in natura et arte. Bas. 1645.
Licetus de monstris etc. Amstel. 1665.
Huber Fr. Observat. et cogitata nonnulla de monstris. Cassel. 1748.
Bianchi de monstris et monstrosis Epist. Venet. 1749.

pollicem unum ac dimidium fere longa optimo cum successu abscissa fuit.

Haller Element. Physiol. Tom. VI.

Haller de monstris in Opp. minor. T. III.

Haller de corporis human. fabrica. Tom. II.

Sömmerring Abbildungen und Beschreib. einiger Mifsgeb. Mainz. 1791.

Klein D. sistens monstr. quorumd. descriptionem. Stuttg. 1793.

Metzger D. de monstris. Regiom. 1793.

Rudolphi Bemerkungen auf einer Reise u. s. w. Berlin. 1804.

Prochasca Institution. physiol. human. Vien. 1806 Vol. II. p. 170.

Zimmer physiol. Untersuchung über Mifsgeburten etc. Rudost. 1806.

Moreau de la Sarthe descript. des principales monstruosites dans l'homme et dans les animaux etc. Paris. 1808. Fol. avec 42 fig.

Ad Guil. Otto monstror. sex humanor. anat. et physiol. disquisitio. Frankf. ad Viadr. 1811.

Wiese D. de monstris animalium. Berol. 1812.

Hunter Bemerkungen über die thier. Oekonomie a. d. Engl. von *Scheller*. Braunschweig. 1802.

Nro. XXVII.

Puella hermaphrodita a).

Clitoris puellae quatuor hebdomadum, muliebribus caeteris normalibus, magnitudine membrum puerile aequat.

2. Imminuta.

Nro. CCCLXXXI.

Cor perexiguum b).

Cor adulti magnitudine cor infantis aliquot annorum aequat.

---

a) *Haller* Elem. Physiol. T. VII. P. II. p. 81.

Ploucquet lit. med. digest. Art. clitoris magna.

Arnaud Abhandl. über d. Hermaphroditen. Strasb. 1777.

J. F. *Ackermann* infantis androgyni historia et ichnographia. Jen. 1805 Fol.

b) *Chavasse* s. Samml. auserl. Abh. für pract. A. B. XI. S. 695.

Störk Ann. med. II. p. 231.

B. Situs vitiosus.

Nro. CCIX.

Polypus nasalis apparens.

Septum narium viri aperturam versus sinistram adeo inclinat, ut a pluribus polypus nasi haberetur.

Nro. LXV.

Intestina in thorace sita a).

Infans sex dies natus, ob defectum diaphragmatis in latere sinistro, omnia fere intestina una cum ventriculo et liene, in cavo thoracis sinistro sita monstrat, ita quidem, ut intestinum coecum sub clavicula sinistra jaceat, stomachus autem ac lien regionem cordis occupent, quod una cum pulmone sinistro exiguo in cavum thoracis dextrum transire cogeba-

---

a) *Vetter* Aphorism. aus d. path. Anat. S. 144. 145.
Loder Progr. Observ. herniae diaphragmatis Jen. 1784.
Bils specimina anat. Roterod. 1661. p. 10.

tur. Cavum abdominis fere totum hepar praegrande replet.

Nro. CXLV.

Hernia hepatis umbilicalis.

Lobulus hepatis, quadratus dictus, abnormi modo prolongatus una cum vesicula fellea in anulum umbilicalem protrusus. Ex infante 20. post partum die defuncto.

Nro. CDXII.

Hernia umbilicalis congenita.

Vesica ad umbilicum, ex tegumentis communibus ac peritonaeo formata, pugnum virilem aequans, maximam partem hepatis, omenti, intestini coli, ac tenuium intestinorum partem continet.

Nro. CCCXLIII.

Viscera per umbilicum prolapsa.

Vesica magnitudinis pomi majoris ad umbilicum ex peritonaeo prolongato formata, intestina tenuia et crassa pro maxima parte per rimam musculorum abdominalium prolapsa continet.

C. Fabrica vitiosa.

1. Forma alienata.

Nro. XXXI.

Vesica fellea perexigua duodeno communicans.

Vesica fellis volumine valde imminuta, absque ductu choledocho, immediate intestino duodeno lumine amplo se inserit. Ex foemina 56 annor. olim diabete affecta, phthisi pituitosa mortua.

Nro. DVI.

Diverticulum intestini ilei a).

In latere intestini ilei mesereo opposito saccus intestino omni ratione simillimus, pollices duos longus, coecus, cum intestino communicans, eodem fluido ac intestinum ipsum, refertus, in ascitico deprehendebatur.

---

a) Bose Progr. de diverticulis intestinorum. Lips. 1779.

Nro. DXXI.

Diverticulum intestini ilei.

Idem saccus, ejusdem formationis ac prior, sed pollices minimum tres longus, cum intestino ileo ancoram quasi formans, in puella ascitica apparuit.

Nro. CCCXXVIII.

Neonatus pumilius.

Puella robusta extremitates adeo abreviatas refert, ut brachium cum antibrachio, femur cum crure vix longitudinem cujusdam eorum aequent. Tum et exemplum hominis quadrumani exhibet; in extremitatibus enim inferioribus pedum loco manus cum pollice libero conspiciuntur, absque calce de qua tantum cutis speciem repraesentat.

Nro. CCXLIII.

Situs monstrosus degitorum pedis.

Digiti utriusque pedis viri sexagenarii ex vitio adnato adeo monstrose formati, ac siti conspiciebantur, ut in pede dextro hic adservato hallux ex di-

gitis tribus compositus appareat, quorum primi duo in ultima phalange divisi sunt, tertius ex phalange prima exortus, quasi recurrens supra reliquos digitos transverse situs, phalanges duas adhuc monstrat; alter digitus ex duabus constat phalangibus, quarum ultima iterum divisa est, digito minimo normali. Digiti proinde ad exordium tres, et in fine, in ultimis scilicet phalangibus numero sex conspiciuntur.

2. Structura alienata.

Nro. V.

Foetus excephalus.

Infans masculus normalis ad fontanellam anteriorem tumorem praegrandem magnitudine caput ipsum aequantem, tegumentis communibus, cum pilis hinc inde obductum, antrorsum vergentem, in duo quasi hemisphaeria divisum refert. Dissecto hoc tumore reperi, illum ex tegumentis communibus formari; cavitatem ejus meninge dura, per fontanellam magnitudine normalem prolon-

gata obduci; et sepimento (processu falciformi quasi) ex meninge formato in cavitates duas subdividi, quae substantiam compactam, hepati similem continent.

Nro. CXX.

Foetus excephalus.

Foetus octomestris emaciatus cum capite exiguo encephalon refert peculiariter deformatum; nam deficientibus tegumentis communibus, calvaria et cerebro, superficiei illi planae insidet vesicula magnitudinis ovi, quae substantia medullari referta, cum encephalo communicans, ex duabus formata membranulis est, quarum interna crassior vesicam hanc stricto in sensu formans, in latere sinistro duplicaturam refert prolongatam; externa autem priori tenuior vesicam, ejusque duplicaturam obducens, aptum undique liberum format canalem, qui nucham contingens, infundibuliformis per foramen hic encephalon ingreditur; quod foramen illud occipitis magnum esse videtur; quia non solum in

cavum cranii, sed et in canalem vertebralem ducit.

Nro. CDXVIII.

Struma ingens in puero neonato.

Tumor enormis, magnitudinis capitis, tegumentis communibus obductus, interne naturae steatomatosae, subdurus, partem colli anteriorem ita occupat, ut ab utraque aure ac mento ad pectus usque, partibus insimul confinibus adcretus extendatur.

Nro. CCLV.

Tumor umbilici ingens.

Infans unius hebdomadis ad funiculum umbilicalem tumorem capitis moli aequalem, lividum, durum, et steatomati similem monstrat.

Nro. CCCXL.

Tumor ossis sacri.

Puella neonata ad os sacrum tumorem refert ingentem, cute obtectum, subdurum, ad genua usque pendulum ita

quidem, ut anus una cum vulva antrorsum spectet: ulteriori vero indagine reperi, partem maximam ossis sacri una cum osse coccigeo et arcu posteriori vertebrarum lumborum inferiorum deficere, et pardiculas quasdam eorum in tumore steatomatoso fere, hinc inde in utroque latere dispersas esse, intestino recto plane normali antrorsum vergente.

D. Numerus vitiosus a).

1. Partes superfluae.

Nro. CCCLXVII.

Hepar succenturiatum.

Hoc magnitudinis circiter lienis ad-

---

a) *Mayer* Beschreibung des ganzen menschl. Körpers.

Jagorsky v. einigen seltenen Muskel-Varietäten aus menschl. Leichen, in den mem. de l'acad. insp. des sc. de St. Petersb. Tom. I. 1809.

G. *Fleischmann* anat. Wahrnehm. über unbemerkte Varietäten der Muskeln, in d. Abhandl. d. physik. med. Societ. zu Erlangen. Frankf. a. M. Bd I. 1810. Nro. I.

ulti, figurae irregularis, pluribus lobulis minoribus praeditum conspicitur.

Loder nonnullae arteriarum varietates. Jen. 1781.

Wrisberg varietatum angiologicarum per XXX. annorum seriem in corp. hum. observatar. P. I. Götting. 1791.

Winslow in den mem. de l'acad. des sc. 1740. S. 811 ff. (de venis deficientibus).

Insfeld D. de lusibus naturae. L. B. 1772.

Müller D. exhibens syllogen observationum quarumdam anatomicarum. Giess. 1760.

Penada Saggio secondo d'osservazioni e memor. med. anat. Padua. 1800. 4.

Fahner Beyträge zur pract. und gerichtl. Arzneyk. Stend. 1799. B. I. Abth. II. Nro. 6.

Fleischmann de vitiis congenitis circa thoracem et abdomen. Erlang. 1810. Tab. IV.

Neubauer Progr. de triplici ordine nympharum. Jen. 1774.

Tollberg de varietate hymenum. Hal. 1791. c. tab. aen.

Eisenmann tab. anat. quatuor, uteri duplicis observationem rariorem sistentes. Argent. 1752.

Osiander Denkwürdigkeiten. B. II. Tab. VII. fig 5.

Nro. CCXLVIII.

Lien duplex a).

Lieni normali peritonaei ope minor adhaeret, molem solitam vix excedens. Ex juvene 22 annor. qui phthisi pulmonali laborans continuo vomuit: Hic vomitus autem abscessu in lobo inferiori pulmonis sinistri, diaphragmati firmissime adcreti exortus esse videtur *).

---

a) *Haller* Elem. Phys. P. VI. p 387.

Rosenmüller's. Journ. d. Erf. Theor. u. Widersp. in d. Natur. u. A. W. 1809. S. 43.

Baille in Philos. Transact. Vol. 78. p 350.

Abernethy ebendas. 1793. p. 59.

Otto Handb. d. path Anat. Bresl. 1813. S. 302. Anm. 4.

*) Peculiaria duo praeparata huc spectantia Celeberrimus, ac in aeternum mihi venerandus Med. Dr. Carolus Comes de Harrach in collectione sua praeparatorum selectissimorum adservat: Caput infantis cum linguis tribus, quarum media normalis, collaterales quidquam priori minores sunt; tum uterum duplicem, quorum quivis uno solum instructus est ovario, cum ore et vagina communi.

2. Partes deficientes a).

Nro. CCLX.

Neonatus acephalus.

Mater puellarum plurium sanarum marito, masculinum valde optanti hae-

---

a) *Mappus* de acephalis. Argent. 1687. T. III. pag. 25.

Tiedemann Anatomie d. Kopflosen Mifsgeburten. Leipz. 1812. gr. 8. mit Kupfern.

Haller Progr. de monstros. fabriciis Götting. 1753. obs. I.

Wiedemann über das fehlende Brustbein. Braunschweig 1794.

von Bergen D. de plurium musculorum femoris defectu. Frankof. ad Viadr. 1734.

Journ. de med. ch. et pharm. par *Corvisart* etc 1800. Octob.

Malacarne Oggetti piu interessanti di Ostestricia e di Storia naturale etc. Padua. 1807.

Brodie in den philos. Transact. Year. 1809. Nro. VII.

Callomb oeuvr., med. chir. Paris 1798. sieh *Harles* in *Reils* Arch. f. d. Physiol. B. IV.

redem, diis voto ejus respondentibus, puerum hunc peperit robustissimum (ast sine cerebro), qui paucis a partu horis convulsionibus obiit. Deficientibus tegumentis communibus, calvaria ac cerebro, su-

---

S. 218 (de defectu tracheae), et S. 213 ff. de oesophagi defectu.

Klein Spec. inaug. sist. monst. descrip. Stuttg. 1793.

Roederer Comm. Soc. Gött. T. IV. de foetu parasitico. (c. ventriculi defectu.)

Bresl. Samml. 1722. Juni. de intestinor. defectu.

Brodie im Journ. de Medec. 1810. Oct. S. 281. (de hepatis defectu).

Jaeger D. de hepatitide cum naturali vesicae felleae defectu Tübing. 1780.

Pohl progr. de defectu lienis. Lips. 1740. in Halleri. collect. disp. anat. Vol. III.

Meckel Handb. der path. Anat. Th. I. S. 186. (de renum defectu).

Friderici Monstr. hum. rariss. Lips. 1737. S. 13. (de uteri defectu).

Klinkosch D. de utero deficiente. Prag 1777.

Engel D. de utero deficiente. Regiomont. 1781.

perficies a superciliis ad infimam partem occipitis usque plana, membranula tantum durae matri simili obducta apparet. Dissecta hac, sella turcica, ac foramen occipitis magnum, foveolis substantia compacta dura expletis, in conspectum prodit; facie normali formosa.

Nro. CDXLIV.

Foetus acephalus.

Puer neonatus valde emaciatus calvaria una cum tegumentis communibus ac cerebro plane orbatus, ita quidem, ut sella turcica una cum processibus ossis sphenoidei superioribus, ac partibus ossis frontis orbitalibus membrana crassa dura obducta promineat.

Nro. CXXV.

Foetus monstrosus.

Ad latus sinistrum abdominis, deficientibus musculis, intestina tenuia in sacco enormi, ex peritonaeo formato, pellucido, ac jam disrupto prolapsa conspiciuntur. Perlustrando cavum abdominis pars diaphragmatis sinistra deficiens,

pulmo ejusdem lateris per exiguus deprehendebatur. Ex primipara 22 annor. quae sub doloribus partus, ac effluentibus continuo aquis sanguinolentis iter quatuor horarum fecit. Verosimiliter ergo quantitas magna hujus aquae in cavo obdominis thoracisque foetus fuit contenta.

Nro. CCXL.

Neonatus sine brachio et femore.

Puer robustus defectum brachii et femoris perfecte demonstrat, antibrachia enim scapulis, crura autem pelvi adnexa conspiciuntur. Ex foemina, quae ante duos annos similem prorsus infantem peperit.

Nro. CCCXCIII.

Digitorum trium in manu defectus.

Manus sinistra adulti pollicem tantum, et digitum minimum monstrat.

Nro. CCLXVI.

Pes digitis privatus.

Pes sinister pueri 12 annor. digitis omnibus ante annum a capitulis ossium

metatarsi felici operatione rescissis, perfecte sanatus, ut nec circatrix remanserit *).

E) *Cohaesio vitiosa.*

1. Partes concretae a).

Nro. CCXX.

Auricula reclusa b).

Auriculae sinistrae loco eminentia membranacea helicem imitans sine ullo

---

*) Foeminam secavi, cujus pedes ambo a nativitate digitis privati fuerunt.

a) *Osianders* Annal. d. Entbind. Lehranstalt zu Götting. 1800. S. 27. (de fontanellis ante partum obliteratis).

Badendyck de anchyloblepharo. Jen. 1795.

Oberteufer in *Starks* neuen Archiv. B. II. (de naribus oblitterat).

Act. N. C. Vol. I. obs. 14. (de oris labiis concretis).

Oehme D. de morbis recens nator. infant. chir. Lips. 1773.

Ploucquet lit. med. digest. Art. genitalium atresia.

b) *Duverney* Tract. de organis auditus. P. III. p. 58.

meatus auditorii vestigio. Indagatione ulteriori autem tuba Eustachii late patens reperitur. A puella 10 hebdomadum.

Nro. CCLVI.

Anus reclusus a).

Concretio orificii ani in puero trium dierum, vix ultra duas lineas protracta.

F. W. Fritze D. sist. praecipuos aurium morbos.

Lentin tentamen vitiis auditus medendi etc. in Comm. Soc. Götting. Vol. XI. Cl. phys. p. 39.

Bartholin Act. med. et phil. Hafn. 1671. Vol. I.

Haas D. de vitiis auditus. Lips. 1782.

Wildberg Versuche einer anat. phys. pathol. Abhandl. über die Gehörwerkzeuge d. M. Jen. 1793. 8.

Saunders the anatom. and diseases of the human. Ear. Lond. 1806. fol.

a) *Le Vacher* D. de ani imperforatione. Paris 1765.

Papendorf obs. de ano infantum inperforato. L. B. 1781. Deutsch Leipz. 1783.

Götze D. de atresia. Helmst. 1802.

Ploucquet lit. med. digest. T. I. p. 72.

accumulationem meconii, extensionem intestini recti enormem, mortemque induxit.

Nro. CDXLII.

Anus reclusus.

In puella neonata nullum ani vestigium apparet.

Nro. LII.

Renes in unum coaliti a).

Renes permagni caeterum normales, in parte inferiori oblongati, inter se adeo coaliti, ut corpus integrum forment.

Nro. CCCLXIV.

Renes in unum coalescentes.

Renes infantis anni unius ac dimidii normales, inter se renis ope tertii, diramificationi aortae in iliacas transverse incumbentis ita coaliti, ut omnes tres corpus integrum repraesentent, et distinctio inter singulos vix fieri possit.

---

a) Loder Progr. de renum coalitu Jen. 1787.

Nro. CDXXIII.

Abnormis pedis conformatio.

Pes sinister adulti primo intuitu digitos tres refert, quorum medius autem et hallux ex phalangibus duorum digitorum concretis constant, cute communi obducti. Hallux non dividitur: sed in medio secundus jam phalanx ab altero discedit. Quatuor igitur digiti apparent.

2. Partes divisae.

Nro. CLXXXIII.

Foramen ovale cordis patens in adulto.

In viro 36 annor. qui colica saturnina laborabat fortuito casu foramen ovale cordis maxima pro parte patens deprehendebatur. De ratione vitae nihil certi innotuit, unde causa phaenomeni hujus rarissimi erui potuisset.

F. Vitia mixta.

Nro. CLII.

Foetus monstrosus.

Foetus maturus labii superioris fissuram, per palatum velumque palati progredientem, exhibet, ita quidem, ut fauces perspici queant, naso ob defectum ossium collapso. Palpebrae insuper incrassatae, non concretae, sed ita occlusae apparent, ut massam carnosam oculorum loco orbitas occupantem non sine difficultate conspicere liceat a).

Nro. CCLIX.

Labium leporinum duplex, cum digitis superabundantibus.

Puer neonatus robustus, a matre sanissima, non solum labium superius, sed et palatum ad pharyngem usque duobus in locis fissum refert. Inter utramque fissu-

---

a) *Malacarne* systemi del corpo humano. Padova. 1803, in *Himly* ophthalm. Bibl. B. III. St. 3. S. 173.

ram (externe excrescentia verrucosa) os vomeris in medio jacet, cui inferius dentes incisivi inhaerent, ita quidem, ut hoc in casu clarissime pateat, hominibus haud minus, ac caeteris animalibus os intermaxillare, seu incisivum Halleri esse proprium. Insuper in utraque manu, pedeque dextro digitos sex monstrat.

Nro. XXVI.

Foetus monstrosus.

Foetus hic foemineus cum capite permagno, hydrope extenso, in quo particulae ossium cranii maceratorum quantitati aquae immensae innatarunt, nullum oculorum, nec nasi, nec oris vestigium refert a), auribus tamen externis pro

---

a) *Vicq d'Azyr* in Mem. de la soc. de medic. 1776. p. 315. 318.

Sprengel in *Sybels* D. de quibusdam materiae et formae oculi aberrationibus a statu normali. Hal. 1799. p. 5.

Wiese de monstris animalium. Berol. 1812. p. 6.

parte jam formatis. Extremitatis superioris dextrae loco trunculus pollicem longus, digitum crassus ex axilla prominet; manu sinistra pollices duos, ergo digitos sex referente.

Nro. CCXCV.

Puella hermaphrodita cum varis et renibus morbosis.

Puella haec neonata cerebri expers, excrescentiam ex superficie cranii plana retro dependulam, pollices tres longam, duos latam, dimidium crassam monstrat. Facies ejus feli similis. Renes succenturiati deficientes. Renes ipsi tumefacti, partim scirrhosi, partim in bullulas commutati. Clitoris prolongata penem mentitur, muliebribus caeteris normalibus.

Ploucquet Nov. Act. Nat. Cur. 1791. Tom. VIII. obs. VII.

Collomb s. *Reils* Archiv. f. d. Physiol. B. IV. S. 213.

Nro. LXXX.

Uterus quasi bicornis.

Foetus octomestris monstrum refert rarissimum. Externe enim sexualium loco prominentia oblonga, peniformis, absque ullo in urethram aditu intumescentiae adiposae, scrotum quasi testiculis expers repraesentanti insidens; anus reclusus, ac spina bifida ad lumbos conspici licet. Interne autem nec virilia, nec muliebria stricte talia apparent: Vesica urinaria praegrandis uracho normali, ac ad collum tumore prostatae simili praedita, una cum sacco duplo majori, oblongo, retro vesicam transverse sito, ex membrana sat crassa formato, ligamentis rotundis ac ovarii unici rudimento cum tuba instructo, in canalem communem, intestinum rectum complectentem, et paullo inferius jam perfecte concretum abit, ita quidem, ut urethra, vagina et intestinum rectum conjunctim eundem canalem inferius plane obliteratum constituant. Ren sinister normalis, ejus ureter amplissimus, vesicam pe-

tens; ren dexter vero hydropicus, ureter ejus minus dilatatus sacco, prius descripto, uterum mentienti se insinuans; canalis intestinalis valde dilatatus, pars ejus inferior volumen intestini adulti referens, reliquis normalibus, conspiciuntur a).

Nr. CCCXXV.

Foetus monstrosus.

In catalogo sub nomine (Neonatus agynos sine femore sinistro) obveniens nondum adhuc fuit exquisitus: Indagatione autem exactiori plura rara miraque detegi.

In infante neonato cum hydrocephalo femoris loco sinistri trunculus pollice quidquam longior, crassitie digiti minimi, ad finem bifurcus, interne cartilagineus, cutis ope loco solito inhaeret, osse innominato normali, acetabulo vero obliterato. Genitalium loco, in fovea minima verruca, clitoridem quasi reprae-

---

a) *Kaaw Boerhaave* hist. anat. infantis, cui pars corp. infer. monstr. Petrop. 1754. hist. altera. 1757.

sentans conspicitur, in cujus medio specilli ope aditus ad interna angustissimus detegitur, ano perfecte obliterato. Perscrutando interna cavum abdominis fere ex integro vesica enormi, faciei pelveos internae adhaerente repletum patet. Aditus ille mox dictus in hanc vesicam ducit, quae magnitudinis ovi gallinacei ad latus sinistrum sacco collaterali in urachum desinente, retrorsum autem appendice vermiculari coeca ad pollices tres prolongata, intestini crassi partem repraesentante (inter se non communicantibus) est instructa. Antrorsum ad superiora appendicem exiguam, incrassatam subduram, excavatam refert, secum communicantem, cui corpuscula duo minima inhaerent ovaria imitantia. Ureter dexter ex rene normali praegrandi veniens partem vesicae dextram circumiens, prope urachum vesicae se inserit. Ren sinister una cum succenturiato ac uretere, uti et lien penitus absunt. Nec vestigium illorum invenitur. Hepar praegrande cavum abdominis superius occupans; ventriculum exiguum, ac brevem tractum in

iestinorum tenuium coarctatum, et fine coeco terminatum retro situm obtegit. Intestina crassa ex integro absunt a). Arteriarum umbilicalium loco tantum unica ex meseraicis ad intestinum tenue exorta per umbilicum transit b).

Rarissimo hocce ac admirabili lusus naturae specimine in coronidem opellae, colophonem impono.

---

a) *Bresl.* Samml. 1722. Juni.

b) Plura exempla enarrat *Meckel* im Handb. d. path. Anat. Th. I. S. 665.

Appendix

quorumdam

praeparatorum hoc in musaeo adservatorum, ad pathologiam non spectantium.

Nro. CCLXXXIV.

Sceleton physiologicum.

Virile, nec morbo, nec deformitate notatum.

Nro. XIV.

Membrana Hymen.

Puellae inpuberis.

Nro. LXXI.

Claustrum virginitatis.

Hymen puellae puberis.

Nro. LXXII.

Virgo sexagenaria.

Genitalia in statu virginitatis conspicere licet.

Nro. CDXXXVII.

Uterus gravidus cum placenta.

Uterus ultimo mense gravidus exempto foetu, placentam cum funiculo; sibi adhaerentem referens.

Nro. CIX.

Membrana decidua crassa.

Haec utero vasorum ope adhaerens absque foetu conspicitur.

Nro. XXXVI.

Membrana decidua Hunteri.

Placentam una cum foetu includens, vasa placentae a foetu provenientia, et.

illa quoque ex utero prolongata tanquam radices plantae eleganter repraesentans.

Nro. XXXVII.

Membrana decidua Hunteri.

Membrana haec vasa placentae a foetu provenientia elegantissime repraesentans, foetum unius circiter mensis una cum funiculo et placenta perlucentem montrat.

Nro. LXVII.

Foetus bimestris in situ naturali.

Masculus mensis secundi amnio inclusus, decidua rupta, e placenta funiculi ope dependens.

Nro. LXVI.

Foetus bimestris.

Foemineus secundi mensis.

Nro. CXXI.

Foetus trimestris.

Generis masculini corrugatus, compressus.

Nro. LXIX.

Foetus quadrimestris in situ naturali.

Utero dissecto, amnio inclusus apparet.

Nro. LXVIII.

Foetus quadrimestris.

Masculus formosus quartum mensem vix absolvit.

Nro. CXXII.

Foetus quadrimestris.

Foemineus menses quatuor diu jam absolvit.

Nro. CXXVIII.

Uterus quinto mense gravidus.

Foetus quinto mense absoluto, absque membranis in utero jacens.

Nro. CXXVI.

Foetus pentamestris.

Foemineus amnio inclusus, per hoc qua peplum elegantissime perlucens.

Nro. CC.

Foetus pentamestris.

Foemineus quintum mensem vix obsolvit.

Nro. CCIII.

Foetus pentamestris.

Masculus caeterum uti prior.

Nro. CDLXIV.

Sceleton naturale foetus trium mensium.

Nro. CDLXV.

Sceleton naturale foetus quatuor mensium.

Nro. CDLXVI.

Sceleton naturale foetus quinque mensium.

Nro. CDLXVII.

Sceleton naturale foetus sex mensium.

Nro. CDLXI.

Sceleton naturale foetus septem mensium.

Nro. CDLXII.

Sceleton naturale foetus octo mensium.

Nro. CXLII.

Foramen ovale cordis in foetu.

Nro. CCCLXII.

Lingua leonis.

Tosta arida.

Nro. CLI.

Vena jugularis leonis.

Sanguine concrumato plena.

Nro. CLIV.

Trachea leonis.

Fere recens adhuc, amplissima.

Nro. CCCLXI.

Cor leonis.

Tostum aridum.

Ultima haec quatuor praeparata sunt reliquiae combusti illius leonis ex amphitheatro publico igne quondam penitus consumto, raritatis gratia adservatae.

In typis Congregationis Mechitaristarum.

E r r a t a.

Pag.	lin.	loco	lege
6	6	Falopias	Falopius
14	16	pindequine	pinquedine
24	17	syphilitide	syphilide
32	17	morbos a	morborsa
50	23	ubstantia	substantia
51	12	foramima	foramina
56	3	cariosa	cariosae
61	2	Nro. CCXVII.	Nro. CCVII.
73	20	lambdocidea	lamdoidea
84	23	avale	ovale
88	6	incoepit	incepit
111	7	quiictero	qui ictero
112	22	aesophageae	oesophageae
120	6	contiuua	continua
127	6	Nro. DXXVIII.	Nro. DXXII.
129	23	Hunczowskys	Hunczowsky's.
148	14	liberarum	librarum
194	17	appuruit	apparuit
196	3	bidatidibus	hydatidibus
201	13	chronica	chronico
240	8	hin cinde	hinc inde